

PETRUS SEMENENKO
e Congregazione a Resurrectione D.N.J. Christi

ORGANON

[1]

© Copyright by Congregazione a Resurrectione Domini Nostri Jesu Christi, Roma 2009.

A B E D I T O R E

Isto volumine tres versiones, variis temporibus scriptas, intitulatas „ORGANON”, tradimus.

Prima quae in volumine invenitur versio, est forsitan anterior, circa 1856 annos scripta.

Altera versio, quae in volumine post primam sequitur, est posterior, fortasse post plurimos annos scripta.

Tertia autem versio Orgsnon, quo nomine intitulata est theca, in qua quidem comprehenduntur tantum paucae cartulae, scriptae diebus intervalli 1881 – 1882 annorum.

Signa.

[...] – elementa intra parenthesim – ab editore.

[...] – ab auctore post correctionem, vel posterius addita.

(...) – ab auctore.

E d i t o r:

P. Joannes Reinke C.R.

Machina destylographica
scripsit

Maria Koenig

Posnaniae 1959/60 a.

INDEX RERUM

	pag.
[I]	
Organon scientiae humanae. Prologus	4
[II]	
Prolegomena	
Initium	39
De inesse mentis	41
De reali et modali parte inesse mentis	42
De parte reali inesse mentis	42
De parte modali inesse mentis	43
Summa	44
Necessitas huius rei	45
In quo consistit lex	46
De ipsa lege	47
Prima ratio differentiae inter ideas et res	49
Secunda ratio differentiae inter ideas et res	50
Locus ultimus idearum et locus rerum	51
Locus proprius rerum obiective sumptus	53
Elementa idearum et elementa rerum	53
V i s	54
Vis idealis	55
Vis realis	56
Actio vis realis in idealem	57
Actio vis idealis in realem	58
Vis media sive centralis	59
Existentia vis centralis	59
Vis centralis (Locus in quo agit vis centralis et elementa)	61
[III]	
Prooemium	63
Lex cogitandi et sciendi	63
Organon scientiae	64
Definitio scientiae	64
Definitio legis	64
Materia	65
Subiectum	66
De organo	66
Transcendentalia	67

+
O R G A N O N
S C E N T I A E H U M A N A E

—
P R O L O G U S ^a
—

1.^b Scientia humana duplici omnino modo considerari potest; obiectivo nimirum et subiectivo.

Primo itaque potest considerari obiective: obiective tamen non quasi obiectum scientiae; nam obiectum scientiae sunt res ipsae, seu potius, generatim loquendo, obiectum scientiae est ipsum ens, scilicet *i d q u o d e s t*. Sed „*o b i e c t i v e*” ad illum modum quo scientia^c iam in se uti scientia existens, puta in libro aliquo, vel in tali aut tali schola, vel in mentemagistri, ita inquam nobis consideranda et acquirenda proponitur. Ubi quum semel magistri meminerimus, necessario ad ultimum et summum ducimur, qui omni dubio procul Deus est. Scientia hoc modo considerata^d, est et vocari debet: *D o c t r i n a*.

Secundo scientia sumi potest es debet eo modo quo iam existit in mente nostra, plus minusve perfecta; et tunc ex obiectiva fit subiectiva^e vocaturque accuratius *S c i e n t i a*.

Sed est etiam tertius modus, quo possit debeatque scientia considerari, et est ipse actus, quo scientia acquiritur. Sive /autem/ acquiratur ab aliqua Schola vel Doctrina, id est a scientia obiective considerata, sive id fiat ab ipso obiecto scientiae, id est a rebus, id est^f /ab/ entibus /ipsis/. Hic tertius scientiae modus in hoc consistit, ut sciamus recte rectam acquirere scientiam, ac proinde ut clarum sui que conscium habeamus in nobis criterium^g quo iudicemus non solum obiectum scientiae aut scientiam obiectivam illam, sed quo potissimum rite pensemus perceptiones omnes, et sciscere possimus ex earum lege de earum veritate. Ita considerata scientia est instrumentum suimetipsius, est *O r g a n o n S c i e n t i a e*.

Et haec est illa scientiae pars seu illa distincta, cuius naturam, leges, ordinem, omnem quem summam hoc nostro studio^h exponere intendimus.

— — — — —

2. Iam vero haec pars ultima scientiae, quae ratione suiatque ordine prima revera est, quae ratione sui atque ordine prima revera est, quantumvis talis sit a qua tota demum scientia pendet, haec inquam *S c e n t i a i n s t r u m e n t i* iuxta atque *I n s t r u m e n t u m s c i e n t i a e* (et cuius partes in philosophia communi ea quae Logica dicitur, explere censetur), non omnibus videtur nobis numeris absoluta, sed potius

^a Totus titulus videtur additus, occasione correctionis, post annos.

^b Numeri marginales signant numerationem pholiorum manuscripti.

^c Textus deletus manu auctoris; primum fuit: quo scientia existit in se ipsa, et ita iam in se scientia uti scientia ...

^d Primum fuit: considerata, relate ad nos, est et ...

^e Deletum: estque.

^f Primum fuit: id est ab Ente vel entibus omnibus ...

^g Deletum: criterium omnis scientiae, quo ...

^h Deletum: Studio atque opere exponere ...

talis apparet quae instrumentum praebet insufficiens et scientiae tractandae plus quam oporteat impar.

Quam quidem opinionem ideo non haesitamus proferre, quia videmur nobis introspexisse integram atque adaequeatam humanae mentis legem; – legem ex cuius integritate et perfectione potuimus cernere ac iudicare, quid illi alteri legi quam hodie omnes passim sequuntur; quid inquam Logicae communi deesse videatur; quaeque lex integra dum illico nobis adaequatam dat scientiae instrumentum simul nos docet cetera instrumenta mutila esse, et ex hac vel ex illa parte claudicare.

Talia affirmantes probe scimus nos rem permagnam asserere, quae forte etiam non paucorum iudicio temeraria aestimari poterit. Nos tamen /non minus/ modeste /quam/ fidenter agimus, sole veritate compulsi et solius veritatis studio permoti. Unum a bono et aequo lectore logamus, ut et ipse solius veritatis, et nullius systematis, nullorumque partium studio /in iudicio suo/^a ducatur.

Difficillimum quidem id est; quam uniuscuiusque animus, a teneris ut aiunt unguiculis, sua biberit pocula, sua sumpserit alimenta, suum proinde habeat sucum et sanguinem, non tam facile reformandum; at tamen spem non deponimus: nam quae omnium fortior est veritas certe est; si igitur veritatem afferimus, ipsa se tuebitur, seque ipsam probabit. Pro nostra parte satis egerimus, si eam exposuerimus quoad eius fieri poterit, candide ac dilucide.

3. Nihilo tamen minus antequam accedamus ad hoc instrumentum scientiae in se ipso exponendum, operae pretium ducimus eum modum ac rationem edisserere, qua ad hanc divinationem atque intuitum illius legis, qua mens humana in cognoscendo dicitur ac regitur, /nos ipsi/ pervenerimus, idque cum benevolo lectore accuratius communicare; fieri enim potest, ut cognita via que nos iuverimus, et ipse eandem bonam probeat, et sine difficultate sequatur.

Itaque multi iam sunt anni (agebatur enim MDCCCLIV annus salutis nostrae), et dum optimo discipulo elementa philosophiae tradebamus, contigit quadam die, quum horis matutinis, antiquo Academicorum more, in hortis deambularem (fuit hoc autem Albani prope Romam in villa Pompeiana), ut longius disputando cucurrerimus, et superficiei neglecta, intima potius huius principis disciplinae penetralia fuerimus scrutati, ubi ultima, aut forte melius prima et scientiae et intellectus humani principia ac leges reconduntur. Iuvabant omnia quae nos circumdabant: hortorum Pompeianorum amoenitas, ibique quietis securitas, aeris suavitas, serenitas lucis, rarissimus prorsus et sine pari locorum aspectus: hinc cominus oculos feriens et in longinquum fugiens naturae virentis ubertas; illinc ominis refulgens super septem colles late consistentis urbis aeternae maiestas; e latere tandem et post terga tum sua flavi agri romani, tum post illum coerulei maris /sua/ infinitas; iuvabant, inquam, haec omnia; sed magis etiam animum excitabant temporum conditio, rerum personarum, et historiae mundi adiuncta.

Fervebant tunc oppido philosophicae quaestiones, et quidem praecetera Europae provinciis in Italiae finibus. Nimirum eo tempore iam siluit Germania, et quos non ita pridem genuerat philosophiae Titanes, iam consepulti in pulvere iacebant, relicta progenie, quae non^b /amplius/ coelum ascendendo invadere, sed potius deorsum converas, de meliori

^a Textus: Studio ardeat et ducatur, corr. in: studio in iudicio suo ducatur.

^b Primo fuit: iam, corr. in. Amplius

modo cogitabat quo humi se prosternere posset. In Galliis rarus quis ex se ipso philosophabatur unus, idque non alia quam ecelectica dialecto; nisi forte excipias illum tunc nascentem Philosophiae Briareum, cui *P o s i t i v i s m o* nomen, sed cui in Philosophia nullus est locus. In ceteris mundi partibus repetebantur vetera philosophorum placita, varia quidem fortuna; quin imo coeperant renovari Scholasticae quoque disciplinae traditiones, idque de di in diem meliori cum successu. At tamen illa praecipua quaestio qua tota philosophia fundatur: quae scilicet scientiae humanae ultima ratio, quodve primum principium? Haec quaestio, cuius murmure /totua/ post Italiam resonabat orbis, minus tamen tunc temporis alibi curabatur solvenda; in Italia autem distincta pronuntiatione, data opera et ingenti adnisi proponebatur, discutiebatur, et pro eo ut ferebant vires, solvebatur etiam. Quo sane factum est ut aliarum etiam gentium speculatores oculos ad Ausoniae tunc oras converterent, non improbabili spe affecti forte futurum, ut exinde lumen oriretur, quo tandem philosophia universa omni ex parte clareret.

Disputabamus itaque cum discipulo maxima cura de hic philosophiae fundamentis, praesertim vero de idea, de eius definitione, et quae tandem prima sit idea. Verum tametsi magistri personam sustineremus, nihil tamen dictatorio asserebamus modo; nam esto haec sint prima philosophiae elementa, nihilominus possunt etiam dici suprema, difficillima, gravissima, ex quibus tota philosophia pendeat; nos vero iam tunc temporis in hac disciplinaversati fuimus ut gravitatem, difficultatemque quaestionum harum probe noverimus. Nihil itaque certi et explorati ex nostra parte statuebamus, eo solo contenti ut aliorum placita discipulo exponeremus.

4. Iam vero auto omnia de ideae definitione multa disseruimus et incipiendo inde a Platonis de ideis sententia, tum vero praecipuorum systematum definitiones percurrando, ad usque postrema Rosminii et Gioberti deveneramus placita, qui quidem gladiatores eo tempore philosophiae arenam occupabant. Sed nihil usquam omino certi, nihil inconcussi reperire erat. Statim itaque modestissimae definitioni *i d e a e*, quam nobis dabat liber manualis quo duce utebamur; quae quidem definitio haec erat: *Ideam esse i d q u o d i n m e n t e v e r s a t u m d u m m e n s s i m p l i c i t e r c o g i t a t*^a. Plane modestam definitionem: Non dicit enim quid idea sit, sed describendo tantum pluribus verbis exprimit id ideam, quod hoc unum verbum *i d e a e* iam expresserat. Nam certe idea est *i d q u o d i n m e n t o v e r s a t u r, d u m m e n s s i m p l i c i t e r c o g i t a t*, sed haec maxime quaestio est: quid sit tandem hoc quod tum in mente versatur, quae quidem quaestio eadem omnino est atque illa dum quaeritur: Quid sit idea? Non solavit itaque quaestionem haec non definitio sed descriptio, ac proinde, sumpta uti definitio, non solum modesta sed nulla potius intelligitur.

Nihilo tamen minus huic stetimus definitioni, eademque^b rationum momenta, quae et auctorem, /nos etiam/ permoverunt cur ita ageremus. Momenta sane gravissima; nam nisi hanc indifferentem et veluti neutram definitionem sequuti essemus, non alia nobis dabatur optio quam inter duas definitiones extremas: quarum altera affirmat *I d e a m e s s e i m a g i n e m v e l r e p r a e s e n t a t i o n e m r e i*, altera vero docet *I d e a m e s s e r e m i n m e n t e n o s t r a*.

Iam vero nemo sanus philosophus certo sciscere poterit utra harum definitionum peior sit et iniquior. Profecto prior illa nulla arte salvere se poterit a crimine interemptae certitudinis ac scientiae: est enim *s c e p t i c i s m i* verum fundamentum; posterior vero definitio auctrix est et creatrix puri ac puti *d o g m a t i s m i*, qui sublato omni discrimine

^a Dmowski

^b Deletum: nos

inter res et ideas, inductaque identitate ut siunt obiecti cum subiecto, dat tibi ex suoque penu fudit, pro lubitu, sive idealismum, sive materialismum, sive pantheismum, sive quaevis alia quae placuerint aberrationum monstra. Quae quum ita se habere non videre non potuerimus, et magister et discipulus, maluimus sine haesitatione inermem illam in philosophia, et si via /infectam/^a adoptare definitionem, quam in alterutram iurare ex illis extremis quarum quaevis scientiam e medio tollebat.

Porro admissa utcunque definitione, ad aliam curiose pergebamus questionem, inquirentes nimirum quae sit vel esse possit prima idea? Et etiam generatim: Nun aliqua prima idea necessaria revera detur, debeatque admitti.

5. Atque hic atiam nihil de suo Magister discipulo dabat, quum nihil explorati ne hic quidem haberet; exponebamus itaque sola aliorum placita. Et primo utique loco posuimus Scholasticorum, atque in primis Sancti Thomae, sententiam asserentem de prima idea: eam esse quidditatem materiae. Meminimus sane non sine singulari admiratione praecipites resentiorum assertiones, quarum alia ipsum Deum, alia ex adverso proprium Ego cuiusque, primam ideam, principiumque ceterarum omnium, aequae temerario ausu proclamabant. Ventilabemus maiori adhuc cura et illam sententiam quae apud modernos philosophos^b /omne/ videbatur /punctum tulisse/, quaeque contendit primam ideam esse ideam *Esse* sive *Entis*. Haec idea seu potius pseudo-idea entis resonabat tum maxime in Italia, hinc ex ore Rosminii, inde ex ore Giobertii, semper altere negante quod alter affirmasset, affirmante quod negasset; quae quidem /tantorum/ athletarum atrox pugna satis demonstrabat quam clara esset haec idea et quam intelligibilis! Itaque neque isti assentiri potuimus, idque ob innumera rationu, momenta, quae postea disputando pandere curabimus; quarum /tamen/ rationum hanc solam in praesentiarum afferemus unam.

Quaestio potius haec est quam ratio, sed rationem quaestio efficit ipsa. Quaerimus igitur num id quod dicitur *Esse* seu *Entis* revera est idea? Non si non est vera idea, multo minus poterit esse idea prima. Iam vero non est certe idea ea significatione qua nostram modernam ideam Scholastici definiebant; nam omni dubio procul non est *species intelligibilis*, facta a nostro intellectu, abstrahendo a specie sensibili, vel, si tractatur de Deo, facta per aliam viam quae hanc suppleret. Haec erat Scholasticorum sententia de actibus intellectus, quae nunc ideas dicimus. Speciatim vero haec, quam nunc dicunt, idea *Esse* non erat Scholasticis species intelligibilis, sed erat principium, inter prima principia collocandum. Haec de Scholasticis. Sed *Esse* neque iuxta sententiam modernae philosophiae vera idea pronuntiari potest. Nam certe recentior philosophia eas dat nobis ideae definitiones quas superius commemoravimus: vel enim vult ideam esse imaginem rei, vel vult eam esse rem ipsam^c. At vero in quacunque hypothesi requiruntur attributa seu proprietates, seu *Notae*, quae aliam ab alia ideas distinguant. Notae vero (quae ut diximus proprietates sunt) referuntur ad aliquod subiectum, neque enim essent notae nisi ad aliquid referrentur. Hinc sequitur haec esse duo elementa ideae: notas et earum unum subiectum, /elementa quae/ vel ipsae modernae definitiones ideae /postulant ac requirunt/.

^a Primum fuit: et si vis insuetam

^b Deletum. Philosophos ceteris palmam praecepisse videbatur...

^c Deletum. Vel medium alliquid intrudit, sc. id quod mens cogitat.

Secus enim, si notae non referrentur ad subiectum, sed in se ipsis essent ideae, idea neve esset *r e s*, uti patet^a; neve esset imago *r e i*, esset /etenim/ imago *n o t a e* quae non est res. Hunc /in modum/ non essent verae /illae/ definitiones. Oportet ergo ut in vera idea sint et notae et subiectum. /Quod si itares se habet/, quaenam quaeso est nota quae ideam Esse distinguat ab aliis? – Et quodnam est eius subiectum? /Nam utrumque volo: et notam, et subiectum/.

Respondebis /forte: idea Esse/ ipsa sibi est et nota et subiectum. – Sed aio, hunc in modum subiectum confunditur cum nota, restabit nota sola, /aut solum subiectum/, atque unum idemque erunt /aut/ idea et /sola/ nota^b /aut idea et solum nemini notum subiectum. Sed quae sors tunc, quae fortuna definitionibus illis contingit? Merguntur sane et supprimuntur. – Respondebis interum: Nihil referre/.

6. Num forte et vita, et sensus, et ratio, non eodem iure et notae sunt simul et ideae? – Optime, inquam^c /sed haec respondens, definitiones non salvas. Deinde/ nego has esse veras ideas, affirmo autem esse solummodo notas, quae semper subiectum appelland, ut verae ideae esse possint. /Concedo quidem/ in hac earum relatione ac subiectum, /sed in hac sola relatione/, posse tibi dari, si vis, et vitam, et sensum, et rationem^d quae notae sunt, aliquo improprio modo /etiam ideas esse/; sed numquid veras ideas, i.e. ideas quae non sint notae aliarum idearum, sed sint ideae, pro se et in se, i.e. ideae quae sint aut imagines rerum aut res ipsae in mente, iuxta definitiones modernae philosophiae? /Nullo certe modo. Nam si illas^e definitiones concedimus quidem aptari posse/ illis notis vitae, sensus, rationis^f, /id tamen facere non possumus nisi quam/ illas notas in relatione ad aliquid sumimus, i.e. /quum/ consideramus vitam /exempli gratia/ sive plantae, sive animalis, sive hominis; tum enim est utique aut res aliqua, aut imago rei; saltem pertinet ad rem, aut ad imaginem. Et bene dicimus *p e r t i n e r e*; nam est nota huius sive rei, sive imaginis, i.e. nota ideae. Quia ergo pertinet ad ideam, potest et ipsa improprie idea vocari. Sed hoc privilegium conceditur /huiusmodi notae/^g vitae in relatione ad aliquid aliud consideratae, tali sc. aut tali vitae, nullo autem modo vitae generaliter sumptae per abstractionem et (sit venia) generalizationem aliquam. Tum etiam neque est res ulla, neque imago rei, proinde neque idea idque ad legem definitionum modernae philosophiae^h. /Aut igitur nota sine subiecto non est vera idea, aut definitiones ideae possumdantur et misere pereunt/. /Id porro quod diximus de nota vitae omnino etiam dicendum est de aliis notis: de sensu, de ratione, ceterisque id genus/. Notiones /sunt/ quaedam generales logicae, aut melius umbrae /sunt idearum/ nam omnis res habet suam umbram; ad summum notae /erunt/ alicuius ideae futurae suo tempore eidem aptandae; nunquam /autem dici poterunt/ verae

^a (Nota) Nam que *r e s* esse potest nota sine subiecto? Non est certe *r e s* ulla albedo verbi gratia, sine aliquo cui inhaereat, motus sine eo quod movetur, qualitas sine substantia, sic sola in nihilo suspensa, aut quantitas saltem sine spatio, et sic porro. Haec omnes notae sunt, sed non sunt certe res illae. Neque igitur sunt ideae iuxta hanc definitionem, quae vult ut idea sit res ipsa in mente nostra.

^b Deletum: ... unum idemque erunt et idea et nota, nullo discrimine inducto? Quid impedit respondes?

^c Deletum: inquam; et huc te volebam. In primis nego ...

^d Deletum: posse sumi etiam aliquo inproprio modo, pro ideis, sed numquid pro veris ideis?

^e Deletum: haec definitiones possunt quidem ...

^f Deletum: si illes notas

^g Loco: ideae

^h Reiectum: Quid igitur erit?

ideae, i.e. simpliciter ideae; idque semper vi definitionum ipsius modernae philosophiae^a. Idem igitur aequo iure dicendum est et de pseudo-idea Esse seu entis. Nos habemus ideam de tali aut tali Esse, i.e. ideam aliquam, imprporie sic dictam, de Esse quae est nota alterius ideae, sed nullam habemus ideam de Esse quae sit idea sui ipsius.

7. Hic non levis latuit semper confusio. Pseudo-idea quam nos nobis efficitur de Esse in se, non est idea vera, quae habeat omnia elementa ideae, i.e. notas et subiectum, sed est notio generalis et abstracta; generalis quia facta ex omnibus notionibus de particulari esse; abstracta quia facta abstrahendo ab omnibus aliis elementis quae particularibus illis esse dabant veritatem essendi, ideoque recitissime dicenda est umbra ideae. Similis est illis aliis umbris quas modo conspeximus^b, aut vitae generalis, aut sensus, aut rationis generalis, quae pseudo-ideae omnes quum generales sunt, tum etiam sunt abstractae; et quando, antilogico conatu, cessabimus eas considerare in earum relatione, id est tanquam notas aliarum idearum, et sumemus eas in illa ficta generalitate ut veras ideas, sicut communiter recentiores philosophi fecerunt cum illa notione generali entis; tunc habebimus (si tamen non coepimus iam habere) confusionem, nulli alii similem. Tum enim sicut ex pseudo-idea entis, sic intellecta, alii eduxerunt Ontologismum, sic aliis licebit ex similibus pseudo-ideis condere sive Biologismum, sive Aestheseologismum, sive Noologismum, sive Logologismum, portenta utique et verborum et rerum, phantasmata et monstra nocturna augendae tantum cofusioni nata.

Haec, inquam, est confusio, haec est herba in qua latet anguis, ad quam tamen non satis advertunt vel ipsi boni ac probi philosophi qui strenue pro veritate certare contendunt. Si enim advertissent, nunquam in illam pseudo-ideam entis consensissent. Nam simul ac concesserimus ideam *E s s e*, non esse aut primum principium, aut notam tantum alterius ideae, sed esse veram ideam, extemplo vincit Hegelius et suum systema fit caput scientiae. Haec enim pseudo-idea *E s s e g e n e r a l i s* facta est ex omnibus ideis de particularibus *e s s e*, sed sublatis per abstractionem omnibus elementis quae particularibus illis *e s s e* dabant veritatem suam, taliter aut taliter, essendi. Sublatum est igitur id omne quod revera subsistit. Quid reliquum remansit? Purum ac putum *N i h i l*. Et omni dubio procul hoc Nihil est ipsissima illa pseudo-idea illius Esse generalis et abstracti. Quid plura? Illico verissimum ex hac confusione, melius dicam, ex hoc chao logico, exurgit, seque probat, fundamentale Hegelii axioma: *E s s e e t n i h i l u n u m i d e m q u e e s s e*. Et quid hoc audeat negare eorum qui semel admisissent pseudo-ideam Esse, veram esse ideam? Stat igitur firmiter fundamentum hegeliani systematis, stat porro et totum systema. Aut igitur pseudo-idea *E s s e* nulla est vera idea, aut si est idea, nos iurare debemus in systema Idealismi Hegeliani. Sed sint Deo Nostro gratiale immortales! Scimus utique pseudo-ideam illam larvam esse, et non ideam. Atque ita e diverticulo ad nostram rem redeamus. Si idea Esse non est vera idea multo minus poteramus eam admitteretantumquam primam ideam. Et hec est illa potissima ratio ob quam eandem ex hoc numero excluserimus.

Tunc pro re nata inquisivimus potius in notas idearum sive in elementa quae requiruntur ad ideam veram constituendam. Verum quidem est nos tunc temporis nondum cleare et scienter distinxisse inter ideas et notas idearum, et dum in notas inquisierimus, ingenuae nos putasse has notas esse similiter ideas inter quas primam aliquam discernere sperabamus. Neque nos poenitet huius erroris, nam ipse nos tandem ad plena perduxit veritatem.

^a Tota propositio mutata est quoad stilum et reiecta est sequens propositio: Idem omnino dici debet de sensu, de ratione deque ceteris id genus.

^b Primum fuit: Simili modo est illi alteri umbrae quam simili modo efficere possumus aut...

Coeperamus itaque inquirere in notas sive elementa quibus idea constare intelligatur. Auctor, quam sequebamur duces, docebat nos, omnem ideam constare pluribus notis, ad minimum autem unam requiri notam (quod falsum iam satis apparet) quae ideam distingueret ab aliis. Alia igitur erat nota et alia profecto idea, praesertim quum ad unam ideam constituendam plures notae concurrerent. Notas vero docebat esse proprietates, quae illius rei propriae essent, cuius haec esset idea.

8. Iam vero dum ista cum discipulo communicabamus non potuimus non adnadvertere una ex parte, quando dicuntur nota e, admitti utique multa; dum vero dicitur idea, poni aut saltem supponi necessario unitatem seu unum, et tamen haec multa reduci ad illud unum, quin cessent esse multa, et hoc unum adesse in illis multis, quamvis semper maneat unum. Inde necessario consequi intelligebamus alium omnino, et in se discretum esse conceptum quem habemus de nota, alium autem, et similiter in se discretum, conceptum quem habemus non dicam de idea, sed de elemento quod intelligitur illud unum, ad quod omnes notae referuntur, et quum relatae fuerint, constituunt ideam. Illud unum igitur est veluti centrum ad quod omnes notae referuntur^a et non nisi quum relatae fuerint, tum efficitur idea. Aliud itaque esse notas et aliud unum; esse tamen utraque anteriora i.e. quae omnem ideam praecedere debent.

Hunc in modum idea non est actus simplex mentis, sicuti esserebat prior illa quam modestam laudavimus idee definitio; sed est actus sine ullo dubio compositus, saltem ex his duobus conceptibus quae debent iam in mente adesse antea quam suo actu mens ideam efficiat, et sine quibus ideae efficiendae mens omnino impar esset; his inquam duobus: conceptu nota e et conceptu unum, quod quidem unum concipitur ut centrum.

9. Atque hanc nostram assertionem unum debere concipi uti centrum, contendimus per se esse evidentem et nullo negotio probari. Satis erit hic loci unum dare tantum argumentum quo res conficiatur. Sumamus, sis, ideam plantae, quae constat his duabus praecipuis notis: esse et vivere. Numquid, quaeso efficere potero ideam plantae si haec duo simul misceam, i.e., si ex una parte sumam notam esse quae est etiam propria lapidi aut metallo, ex alia parte sumam notam vitam quae praeter plantam propria est aliis etiam entibus, verbi gratia animalibus? Nonne potius certum et evidens est, ad efficiendam ideam plantae, sicut nota vitam sumitur illa quae ad plantam pertinet et neutquam illa quae spectat ad animal, ita et pro nota esse debere poni notam, illius esse quod ad plantam, non autem quae ad metallum, pertineat? Non miscentur igitur secum notam vitae et esse, neque sic efficitur idea plantae; sed unaquaeque notarum refertur primum ad plantam, tanquam ad aliquid unum in se cui hoc esse et haec vita sint aequae propria; sint seque propria; et postea considerando quod et nota huiusmodi vitae et nota huiusmodi esse, pertineat unaquaeque ad aliquid unum quod sit idem et pro hac vita et pro hoc esse, inde infertur has duas notas esse in illo tertio et per illud tertium etiam inter se coniunctas, et efficere ideam plantae.

Itaque ad efficiendam constituendamque ideam necessario requiruntur illa duo, atque idea certo constat his duobus veluti elementis: una ex parte nota e, alia ex parte

^a Dices, non est necessarium supponere Unum esse centrum, sufficit ex multis notis unam efficere summam, ut habeamus unitatem ideae. Sed tale mixtum compositum nunquam unitatem, neque erit vere Unum; sicut aqua et vinum, simul mixta, sunt semper, aqua quidem aqua, vinum vero vinum; sunt duo, et non unum. At vero de hoc difficultate sine mora apposite disceremus.

illo uno, cuius hac notae sunt propriae^a. Itaque haec duo et certo sunt necessaria et sunt omnino anteriora, ideamque praecedunt.

10. Sed numne ista duo sola? Modo audivimus hoc tertium verbum: cuius hae notae sunt propriae! Num nam in hoc verbo esse proprium non includitur tertium, idque praecipuum Ideae elementum?

Et re quidem vera, hoc /profecto/^b verbum esse proprium, hoc fuit, quod nobis in illa felici disputatione clavem dedit totius scientiae. Nam vix magister hanc discipulo fecerit declarationem, in omni nempe idea praeter multa et unum, praeter notas sive proprietates, et centrum commune earum /seu subiectum/, debere insuper adesse tertium necessarium quod ea coniungeret elementum, et sine quo illa duo perpetuo ad latus alterum lateri et frustra assiderent, elementum inquam relationis, sed relationis activae, seu potius actuosae, quae exprimitur per hoc verbum: esse proprium; quum repente mentem eius improvisa subiit illuminatio, et uno veluti intuitu omnes miratus consequentes quae inde promanerent, non poterat quin laetebundus exclamasset: Ἐύχεκα!
Teneo tandem quod quaerebam!

Quod quidem nostrum gaudium, causasque eius, ut melius benevolo lectori aperire nobis liceat, unum advertemus quod totius huius quaestionis existimamus in se continere solutionem. Est autem simplex distinctio inter conceptum qui exprimitur verbo proprietate, et conceptum qui significatur hoc alio verbo: esse proprium; ad quam distinctionem vix, aut nullo etiam modo, passim conscienti reflexione advertitur. Atqui plane aliud est dum dicitur proprietate, aliud omnino dum enuntiatur esse proprium. Proprietas est illa qualitas, illud aliquid, sive simpliciter id, quod est proprium alicui; esse autem proprium non est illa qualitas, aut aliquid, aut id, quod est proprium alicui; sed est illa nexus, sive realis sive logicus (realis in rebus, logicus in ideis), quo agente vel imperante, illa qualitas, aut aliquid, attribuitur et fit, seu potius factum est, proprium alicui. Proprietas est veluti res, veluti ens quod coniungitur cum alio ente; esse autem proprium est veluti vis quae coniungit, nimirum coniungit (sit venia verbis) ens qualitativum cum ente cuius illud est qualitativum. Quo in negotio vere maximeque nos iuvabit suppetias advocare optimum, et omnino adaequatum, exemplum huius distinctionis, quam habemus in alia distinctione, percepta et admissa ab omnibus qui syllogismum tractant, inter Consequens et Consequentiam. Consequens est certe illa propositio, aut simpliciter id, quod ex praemissis consequitur; sed consequentia est omnino aliud: est nempe ille nexus, una illa /voce/^c ergo /significatus/, /significatus/, qui praemissas coniungit cum consequente; est illa vis logica, quae

^a Praesentabo observationem quae ad rem videtur facere non parum. Si in omni idea una tantum esset nota, mens humana forte non refugeret admittere notam et ideam esse unum idemque; sed quum passim, imo semper (quod facile probabimus) in omni idea plures sunt notae, hinc fit quod illa identitas notarum et ideae ne cogitari quidem possit. Quam rem dixerimus mathematicam praesefere evidentiam: quum habeamus figuram mathematicam, figuram aei circuli, quae sit similis omnino naturae. In circulo peripheria, multis innumerisque constans punctis, repraesentat multas notas ideae, centrum vero quocum omnia et singula peripheriae puncta necessariam et insuper directam habent relationem, praebet nobis illud ideae centrum ad quod notae referuntur. Puncta peripheriae non miscentur inter se ad ideam circuli constituendam, sed omnia eadem lege referuntur ad centrum; et nisi id fiat, idea circuli non habebitur.

^b Profecto, loco delati: oppido.

^c Primum fuit; uno illo verbo ergo expressus.

qualitatem seu qualitates in praemissis contentas, attribuit et proprias facit enti, quod in consequenti ponitur.

Aliud igitur est consequentia et aliud omnino Consequens, sicut aliud etiam fuit Antecedens, seu Praemissae. Et sicut haec tria elementa, *A n t e c e d e n s* sc. (sive una, sive duabus constans propositionibus), deinde *C o n s e q u e n s*, cuius illud fuit antecedens, et tandem in medio eorum *C o n s e q u e n t i a*, constituunt *S y l l o g i s m u m*; ita etiam Ideam tria similia elementa perficiunt, nimirum *N o t a e* seu proprietates, deinde ens, illud *U n u m* cuius hae sunt proprietates, sc. subiectum, et tandem *e s s e p r o p r i u m*, sive pertinere has proprietates ad illud subiectum; quod elementum tertium est inter illa duo.

11. Sane hic loci missam facimus gravissimam similitudinem /quam attigimus/^a inter syllogismum atque ideam, et que utique iam in antecessu probaret (quod postea in Logica evidendum erit), syllogismum non esse nisi ideam explicatam, ideam vero esse syllogismum implicitum. Haec utique suo loco erunt proponenda. Hic solum ex his omnibus retinemus unum: aliud esse. Atque aliud, proprietatem et proprium esse; sicut aliud etiam /atque aliud/ erat proprietates et illud unum ad quod proprietates partinerent, cuiusque esset propriae. Sunt itaque in idea duae notiones extreme: *P r o p r i e t a t e s* et *A l i q u i d u n u m*; cuius hae sunt proprietates (notae videlicet et subiectum), et est notio media, nimirum *P e r t i n e r e* seu *P r o p r i u m e s s e*. Illa autem similitudo, sumpta ex re et veritate notissima, ab omnibus omnino recepta ac probata, nimirum ex syllogismo, in quo aliud est consequens et aliud consequentia, illa similitudo inquam, adumissim analogica atque identica, eo tantum spectabat ut statueret eodem etiam iure, eadem vi, eadem evidentia, aliud esse proprietatem et aliud *P r o p r i u m e s s e*; atque haec notionem *P r o p r i u m e s s e* (quae non est proprietas, sed est ius et vis pertinentiae, sit venia verbo, quo proprietas fit revera proprietas alicuius unius) hanc inquam notionem sua vi stare, sui iuris esse, et in se ipsa considerari debere, ac proinde in se ipsa etiam, et notionaliter ut ita dicam in scientia tractari.

Habemus itaque aliquando hoc novum in scientia elementum, quod prima sua specie apparet nobis indutum hac voce: *P r o p r i u m e s s e*; et si brevitatis causa duo vocabula ad unum reducere malueris, possumus simpliciter dicere: *P r o p r i u m*; dummodo quando *p r o p r i u m* dixerimus, nunquam intelligamus adiectam alicui *P r o p r i e t a t e m*, sed illam notionem activam quae /Proprietatem/ adicit; quod est *P r o p r i u m f a c e r e* et *P r o p r i u m e s s e*.

12. Diximus novum elementum. Sed numquid revera est novum? Et quando Porphyrius hoc elementum *P r o p r i i* veluti fundamentum aliquod praefigebat Aristotelico Organo, quando etiam post ipsum negamus Boetius, per tot secula Scholarum Logicae immobilis magister, ac deinde omnes post Boetium Scholae, et ipsa Scholastica, hoc idem elementum Proprii veluti lapidem angularem in ipsis Logicae fundamentis reconderent, unde postea traherent notiones generis, speciei, differentiae, et sic totum Logicae aedificium construerent, num quid quaeso ad hoc elementum *P r o p r i i* non adverterunt aut praetermiserunt veram eius notionem? Ad quaestionem huiusmodi uno eoque simplici verbo respondemus: omnes hos venerandos antiquitatis magistros omnesque scholas supposuisse quidem atque admisisse proprietatem esse propriam alicui rei. Hoc certe habet sensus communis, et ille utique desiperet qui hoc non saperet, quique assereret proprietatem alicuius rei non esse illi propriam. Hoc igitur ultro admittebant sicut et vulgus

^a Primum fuit: similitudinem generalem inter ...

facit; sed ita admittebant ut non distinguerent, sicut et vulgus non gistinguit, inter has duas notiones, atque eo minus ita distinguerent, ut scienter id facerent, scienter admitterent, ac ponerent, has esse revera duas distinctas in Logica notiones, et omnino aliud esse quae dicitur proprietas, nimirum aliquod *e n s* quod ad aliud pertinet; aliud vero quod dicitur proprium esse, id est actum et ius quo unum est proprium alteri. Omnes illi magistri philosophiae a Porphyrio, aut etiam inde ab Aristotele incipiendo, dum dicerent *P r o p r i u m* intelligebant proprietatem, i.e. rem aut ens quod sit proprium alterius, non autem actum, quo pertineat, quo fiat proprium, neque proinde vim quae hunc actum producat. Nunquam scienter posuerunt harum duarum notionum unamquamque habere proprium suum in Logica et in philosophia locum, aequalis valoris et eiusdem ponderis, atque debere, quum in Logica tum in Philosophia universa, aequo iure atque distincte omnino tractari sicut de notione proprietatis ita etiam de notione proprium esse. Hoc inquam non admiserunt, et ne quidem scienter advertisse dicendi sunt, semper secum miscentes proprietatem et proprium esse. Res haec ita est in propatulo posita ut supervacaneum ducimus ad testes et testimonia appellare, atque id quod asserimus omnes nobis ultro concedent, qui aliquantulum diutius in his quaestionibus versati sunt. Imo vero isti ad quos nunc appellamus sint ipsi testes nostri. Dicant ingenue num quis eorum hanc distinctionem revera fecerit, et illud elementum ideale quod vocamus *P r o p r i u m e s s e*, scienter ipse quidem consideraverit? Quid quod, si nos ipsi non levem in haec distinctione inducenda difficultatem experimur ideo maxime id fieri intelligamus, quia distinctio haec nunquam scienter facta fuerit? Quam ob rem quid etiam opus est hanc distinctionem nunquam factam esse, et hanc confusionem semper extitisse, testimoniis et argumentis probare? Ceterum melius quam quaecunque probatio ita rem se habere ostendet nobis res ipsa, quando nimirum coeperimus hanc, de qua loquimur, distinctionem inter duas illas notiones exponere; tunc enim clare ac distincte percipientes una ex parte quid sit proprietas, alia autem ex parte quid proprium esse, non poterimus non videre nondum esse in scientia demonstratum quam inter se haec duo differant, aut quanti in Philosophia momenti sit huiusmodi distinctio.

Hoc ipsum profecto, in illa prima cum optimo discipulo collatione magister in evidentiori luce pluribus collocare officii sui duxit, maxime vero in quo posita sit vis et natura huius notionis *p r o p r i u m e s s e*. Quorum omnium summa haec est propemodum.

Quaerebamus, ad discipulum dixit, primam ideam, et iam iam desperabamus de invenienda. Sed nun non vides nos eam nunc quidem ex inopinate reperiisse?

Et id quomodo, ait discipulus?

Haec ipsa inquit magister, haec idae, (nam ideam putabamus) seu notio *P r o p r i u m e s s e*, id est notio pertinentiae et proprii, nonne tibi videtur esse idae omnino prima?

Videor id mihi videre, respondit ille, sed tu potius evidenter demonstra.

Uno verbo dicam: Quomodo coniungerem notas cum earum subiecto et sic ideam efficerem, nisi haberem prius illam aliam ideam seu notionem: Unum ens posse esse et revera esse alteri proprium? Ante notas igitur, ante subiectum, debet mihi inesse in mente illa necessitas proprii, sine qua nisi eam prius habuissem nihil fecissem de notio et de subiecto. Haec igitur, haec notio proprii est prima omnium, et ante istam nulla alia datur,

quia neque est necessaria. Inveni igitur, videop, teneo! Sed ut ordine procedamus, visne ut aliud post aliud tibi demonstrarem? Fac quidem, ut libuerit, ego te sequar in omnibus.

Non vides, coepit magister, ad ideam eformandam cum primis necessarias esse notas?

13. Ita plane, sit.

At notas non esse unum, sed multa?

Et vero inquit.

Multa autem nisi unum efficiantur, non posse esse ideam quae una esse debet?

Nulli dubium.

Multa porro non possunt effici unum, si tantum inter se misceantur; nam sunt quidem multa secum mixta, /non/^a tamen unum; erit quidem moles una, rudis indigestaque, non erit res uniformis, ac proinde una eademque, ac secum identica. An tibi non videtur?

Videtur omnino.

Notas itaque debere referri ad aliquid unum, quod eas non inter se misceat, sed quod tamquam subiectum earum, ideoque et centrum, unamquamque notam tanquam suam recipiat, et hunc in modum faciat ex eis non externam mixturam, sed internam unitatem. Num tibi non placet?

Placet affatim.

Multae itaque notae, quae sunt primum elementum ideae, referuntur, nonne ad unum subiectum?

Certissime quidem.

Hoc u n u m igitur, quod dicimus subiectum, erit alterum idque necessarium ideae elementum?

Necessarium sane.

Itaque iam duo eruimus ideae cuiusque elementa: notas et subiectum?

Duo sine dubio.

Et dicis elementa esse?

Profecto elementa sunt.

Sed num non admittis elementa, quae sive rem sive ideam constituunt, anteriora et priora esse; i.e. existere prius, ante illam sive ideam, sive rem?

^a Non loco deleti: nec

Admitto prorsus.

Iam vide si ita concedere non debeas ante omnem aliam ideam, omniumque priores, has esse duas: et ideam notae (ideam /adhuc/ dicebamus) et ideam subiecti?

Et video, et concedo.

Nunc vero ex his duabus quaenam tibi videtur prior: utrum idea notae, an vero idea subiecti? Aut forte neutra earum prior erit sed simultanae ambae?

Simultanae, saltem secundum operationem mentis nostrae, non nihi esse posse videntur. Quaenam autem earum sit prior, hoc potius te magistrum decet me accuratius docere.

14. Accipe igitur. Primae quas mente percipimus, sine dubio sunt notae; at eo ipso in numero idearum non possunt primum occupare locum. Nam quum haec sit via mentis nostrae ut ex magis notis assurgat ad minus nota, aut etiam ad ignota; quum ex altera parte ea quae sunt magis nota sint maior manifestatio (proindeque effectus) eorum quae sunt minus nota quaeque sunt veluti causae illius manifestationis, (secus enim magis nota non perducerent ad cognitionem minus notorum, neque ex effectibus manifestioribus possent inducendo erui cause reconditiores); quum tandem tertio causae sint necessario suis effectibus priores; hinc etiam necessario sequitur, licet notio notae in processu mentis nostrae scitu /sit/ prior, in rerum tamen veritate notionem subiecti ordine logico priorem esse. Hoc nullam patitur difficultatem. Unde etiam sequeretur; sicuti has duas, notiones, notae et subiecti, omnes ideas praecedere, ita etiam si forte inter has notiones duas requirenda esset prima idea, palmam esse notioni subiecti iure merito deferendam. Quid dicis?

Consentio.

At nihilominus quominus id faciamus vetat nos illa a qua sermonem incepimus tertia notio, illa quae sic ex inopinato menti nostrae affulsit, notio proprii, seu proprium esse. Numquid non perspicias quam tandem ob rationem?

Dic, quaeso; ego sures erigo et mentem.

Velim igitur prius scire ex te utrum unaquaeque illarum notionum quas diximus notam et subiectum, suis limitibus contineatur et stet per seipsam, an potius altera alteram appellet, sine altera nec stare nec concipi possit, uno verbo: an notiones illae sint /eae/ quas ad se relativae dicunt?

Aut oppido fallor, aut relativae sunt.

Non falleris, sunt omni ex parte relativae. Et sane nota non est nisi aliqua proprietas uti iam saepe diximus; proprietas autem non esset proprietas, nisi ad aliquid pertineret, alicui propria esset, et sic etiam uti nota aliquid notaret. Refertur igitur necessario ad illud aliquid /id est subiectum/, cuius est proprietas ac proinde nota. Sed neque subiectum esset subiectum nisi adesset illa proprietas quae ipsam adiicitur, et cui id idem subiicitur, ut sit eius subiectum. Proprietas igitur sive nota nihil valet, nihil significat, nisi relata ad subiectum cuius est proprietas et nota; et similiter subiectu debet necessario referri ad illas proprietates quibus subest, ut tandem aliquid significet. Hae igitur notiones prorsus relative sunt. An tenes?

Evidentissimum est.

Verum enim vero numquid non etiam evidens erit hanc relationem de qua loquimur, et quam significamus illo verbo *Pertinere* seu *proprium esse* distinctam esse ab illis duobus terminis, proprietatis scilicet et subiecti, et constituere tertium idque praecipuum elementum ideae?

Hoc dixisti, ait discipulus et iam fere probasti. At nihilominus explanes velim quomodo illud *Proprium esse* sit tertium elementum ideae, quum nihil positivi prae se ferre videatur? Et non sit nisi mera relatio?

15. Rem acu tetigisti, dixit Magister. Quare ut te melius doceam, distinguam necesse est inter relationem et relationem. Alia igitur est relatio externa, alia vero interna; et rursum alia est fortuita vel arbitraria, alia certe naturalis et necessaria. Omnem relationem externam, puta inter dominum et servum, multoque magis relationem arbitrariam aut fortuitam, puta inter hominem eiusque vestes, facile concedimus nihil in se habere positivi; videlicet talem relationem esse morem ac putam relationem. Sed nos aliam praeterea relationem novimus, relationem quae non sit puta ac pura inter duos terminos relatio, sed sit vis coniungens eos naturaliter ac necessario. Huiusmodi relationis plura prae oculis habemus exempla; sumas fac attractionem sive inter planetas, sive inter atomos, affinitatem quam dicunt chemicam inter moleculas variorum corporum, ceteraque id genus exempla. In huiusmodi relationem vides elementum omnino positivum, nimirum vim illam coniungentem, ac naturaliter et necessario operantem. Habet igitur talis relatio aliquid in se, seu potius ipsa est aliquid quod re vera positivum est. An forte negare poteris?

Non negabo, idque nemo negabit /unus/.

Quod igitur tibi dicam et tu quid mihi repones, de relatione quae non solum naturalis est et necessaria sed etiam interna. Et hic illam relationem intelligo, quae nostra maxime refert, quae duos terminos ita intime coniungat ut unum aliquid efficiantur, unum in existendo et operando. Talis est relatio inter sensationes et sensum percipientem, inter cogitationes et intellectum cogitantem, et ut sermoni finem imponam inter proprietates de quibus disserimus et earum subiectum. Positiva est quam quae maxime.

Assentior, sit.

Iam nunc aurem praebe, resumpsit magister. Concessisti ultro aliud esse proprietates, aliud vero illud unum, quod diximus subiectum?

Concessi.

Sed aliud et aliud sunt duo?

Duo omnino.

Quo igitur modo coniungentur in illud unum tertium identicum?

Per illam relationem, ni fallor.

Sed pura ac puta relatio nullam talem efficere potest coniunctionem?

Nullam penitus.

Ad vero coniuncto existit, et non nisi per coniunctionem sunt unum omnino proprietates et earum subiectum?

Certissime quidem.

Quid igitur hanc coniunctionem, naturalem, necessariam ac insuper internam efficit nisi vis coniungens?

Iam intelligo et fateor, vim esse quae hoc facit.

Tene igitur fortiter, nam haec est conclusio: Tercium elementum ideae quod est *P r o p r i u m e s s e*, non esse meram ac putam relationem, esse vim coniungentem.

Et teneo et tenebo.

16. Dixi tibi vim esse, resumpsit magister, vim, inquam, quae sicut efficit coniunctionem inter proprietates earumque subiectum, ita etiam efficit ac creat relationem ipsam. Non est igitur relatio haec vis, sed vis haec relationem creat.

Optime id percipio.

Ain percipis tandem. Non omnes tamen id tam facile concedant. Ita namque omnes passim assueverunt protinus et sine ullo medio proprietates attribuere subiecto earum, ut de aliqua vi coniungente ne cogitent quidem. Quare, si vis, unum adhuc verbum adiiciam.

Fac, quaeso.

Alia profecto est vis realis, quae in re ipsa operatur, alia vero vis idealis, quae operatur idealiter, in mente scilicet nostra. Nos in praesentiarum de vi reali non curabimus, ne hic nobis inutiliter negotium facessat. Remittimus eam ad alium locum et tempus. At de vi ideali maxime nobis hic cura esto, nam quum de idea, ideaeque elementis agatur, de hac utique vi ideali agitur. Idcirco hoc maxime te nunc monere volo, quae nempe in modum id quod dicimus *P r o p r i u m e s s e*, sit in mente nostra veluti vis innata, quae omnem operationem nostrae mentis excitat ac promovet. Haec est quam dico vim idealem. Hanc demonstrare volo.

Perbelle quidem, teque attentissime audiam.

Responde mihi igitur verbum unum:

Proprietates seu notas certo vides, subiectum autem vidistine unquam?

Fateor non solum non vidisse me subiectum, sed ne quidem me posse id unquam videre.

Et tamen admittis subiectum revera esse?

Est enimvero.

Et ita est, dicis, ut sit alia notio i.e. ut distinguatur nationaliter a proprietatibus seu notis?

Et vero quidem.

Sed unde nosti esse subiectum? Quo modo ad illud devenisti?

Quid tibi respondeam? Novi id, ni fallor, per inductionem?

Qualem inductionem?

Inductionem ex proprietatibus sive notis ad illud aliquid ad quod pertinent, et quod dicimus subiectum.

Attende quantum dicas. Inductio igitur haec tam magnae est efficaciae ut tibi certo supponere iubeat aliquam notionem gravissimam quia elementarem, notionem videlicet subiecti, quamque ultro admittis, licet nec vidisti eius obiectum, neque unquam id videre poteris? Attendistine bene quantum dixisti?

Sane pervideo magnitudinem rei, sed aliter concludere non possum.

Quam porro ob rationem?

17. Quia proprietates quas video per se ipsae stare non possunt et debent necessario referri ad aliquid unum quod dicimus subiectum. Fac sumamus proprietates *r o s a e*, exempli causa. Tale lignum, talia folia, talis earum forma, talis flos, talis fructus, talis odor, talis sapor, talis color, et sic porro, tam multa et tam inter se varia, sive eas proprietates dixeris sive notas, non stant certe unumquodque per se, neque casu secum permixta in unam colauerunt et formam et rem; – sed omnia haec, veluti totidem puncta circuli, ad unum centrum necessario referenda sunt. Et sicut ex centro circulus formatur, ita ex suo centro, (quod affatim in semine erat) forma illa rosae sine ullo dubio exivit; neque ullo modo dicenda est exeundo centrum suum perdidisse. Imo vero quemadmodum ex omnibus punctis circumferentiae, quum tota perfecta iam fuerit, debes necessario in circulo ad centrum pervenire; ita etiam ex omnibus punctis, ex omnibus proprietatibus, ex omnibus phaenomenis illius formae rosae, quam in exemplum adduximus, ad eius internum unum et identicum subiectum concludere idem est ius, eadem lex ac necessitas. Quin etiam haec mihi videtur ipsa lex mentis nostrae, iuxta quam omnino debemus, sine qua vero numquam possumus cogitare.

Hoc sapienter et praeclare dixisti, ait magister. Ex his porro duo omnino certa uruuntur: primum quidem notio subiecti unius et identici in oppositione ad notionem proprietatum multarum variarumque, quas invenimus in forma externa; unde etiam ipsa notio proprietatum sive notarum melius declaratur in reciproca oppositione ad notionem subiecti. Alterum autem quod inde certum eruitur est utique nos pervenire ex notis ad subiectum per modum necessariae inductionis. Nonne ita?

Ita omnino est.

Optime quidem. Sed quum haec ita se habeant, num tibi non videbitur ipsa inductio esse veluti tertia aliqua notio ad elementa ideae pertinens?

Fortassis videbitur.

Ne tamen statim id dicas. Inductio est quaedam actio, est quidam effectus; effectus autem, praesertim quum sit actio, potestne stare sine aliqua causa, et ut pressius dicam, sine sua vi agente? Quid ais?

Assentior. Actio sine vi agente, motio sine vi movente, stare prorsus non potest.

Perbene dicis. Et nonne tibi videtur haec vis agens et movens esse veluti aliquis nervus^a in se intentus, paratus semper ad impulsus dandum, quem quum exeruerit, oritur statim actio, sive motio, sive illa, quae nos hic sollicitos habet, inductio?

Quam id praeclare dixistis! Hanc totam sententiam ex penu mentis meae extraxisse videris.

18. Age igitur, huiusmodi nervus, ut eum vocavimus, ita semper in se intentus et ad exerendum impulsus paratus, nonne tibi videtur in his idealibus rerum elementis esse illud aliquid, quod communiter dicitur *p r i n c i p i u m*? Quod ut melius assequaris advertas velim quid sit ipsum principium. Numne tibi non videtur principium, in his idealibus, esse aliquod ideale elementum, quo iubente mens aliquem idealem producit effectum? Sumamus illud principium ab omnibus admissum: Id quod est non potest simul non esse, vel simul aliter esse. Hoc effatum certe principium est, et not aliam ob causam nisi quia eo iubente, multa ac fere innumera idealiter perficiuntur. Ita verbi gratia, quia iuxta hoc principium duo sunt duo, et non possunt simul esse non duo, et quia quatuor sunt quatuor, ac non possunt simul esse aliud vel aliter, hinc fit ut duo et duo sint necessario quatuor. Ita certe fit illo principio iubente, suam menti imponente legem, eamque suo impulsu movente. Itaque principium nonne est illa vis idealis in se intenta quae aliquid idealiter agere iubet? Idcirco vicissim etiam illa vis de qua agebamus, nonne debet esse tale principium? Tandem quia operatio idealis pendet ex principio, non autem principium ex operatione, hic etiam nonne necessario principium ideale concipitur tanquam anterius omni ideali operationi? Idcirco et inductio etiam de qua agebamus, et quae certe operatio est quaedam idealis, suum etiam ideale principium, a quo ipsa procedat, et quod inductione anterius sit, habere, nonne necessario dicenda est. Vidistin haec et probasne omnia?

Et vidi evidenter et probo firmiter.

Iam nunc videsis tandem quale sit principium ideale quod tuae inductioni, de qua semper agimus dabis pro vi agente? Nonne ididem elementum de quo etiam constinuo agebamus, quodque significavimus hoc verbo *P r o p r i u m e s s e*? Et quo iubente ac novente fit utique inductio? Intellexistine?

Gratiam tibi habeo maximam, rem enim omnem nunc quidem penitus intellexi. Volo tamen a te ipso audire quomodo agat, aut mentem agere iubeat, hoc elementum, quodque iam scimus esse principium, hoc inquam, principium *P r o p r i u m e s s e*, et quod brevius appellare iuvabit *P r i n c i p i u m P r o p r i i*?

Libenter more tibi geram. Scimus itaque imprimis quid sit principium, neque amplius nos explanare debemus quid principium sit. Sed et hoc etiam scire nos hic oportet verum principium esse primum principium, nosque hic agere de iis, quae vocantur principia prima. Quare ulterius oportet nos etiam scire prima principia neve opus, neve fast

^a un ressort, una molla, eine Triebfeder, sprężyna.

est probare; nam quaeso per quae alia prima principia erunt haec alia probanda? Semper deveniendum erit ad principia, quae per nulla alia probare erit necesse, et haec tandem erunt vera principia prima. Prima itaque principia non probantur sed intuentur. Hoc sane nosti?

Et maxime.

Intuentur, inquam, et statim ac videntur et probantur, non argumentis sane, sed ipsa intuitione. Prima enim principia habent in se aliquid absoluti ac necessarii, quod vi sua menti humanae imponitur, ab eaque accipitur.

Haec omnia rata fixaque habemus.

19. Atqui tale omnino est principium quod diximus *P r o p r i i*; nam et principium est, et est unum ex primis principiis. Quod ut exemplo probem redibo ad pulchrum illud quod attulisti, nimirum rosae exemplum. Qua igitur ratione intelligo et scio illas proprietates seu notas quas in rosa deprehendo, hunc colorem, saporem, odorem, et sic porro, re quidem vera pertinere ad rosam? Qua inquam ratione, nisi vi ipsa huius principii *P r o p r i u m e s s e*? Principii nempe, quod mentem meam iubet has qualitates non seorsum in se ipsis considerando relinquere; sed eas ad aliquam unitatem, aut melius ad aliquid unum referre? Nisi prius in mente mea esset tale principium, quo mens ducta cogitaret necessario in certis rerum adiunctis, unum aliquid pertinere ad aliquid aliud, i.e. proprium esse alicuius alterius, num forte attribuissem illas plures variasque notas uni alicui enti, quam rosam vocamus? Sed quomodo id fecissem, se ne quidem advertissem aliquando unum aliquid esse proprium alterius? Certo certius neve attribuissem neve advertissem, neve de attribuendo cogitassem unquam^a, neve ullam fecissem inductionem.

^a Hic autem notare debemus ante occupando, quod postea data opera confectabimus, et quod in illa nostra cum discipulo collatione ne tetigimus quidem, quum res haec illo tempore vix in suis vagiret cunabulis. Intendimus porro Positivismum eiusque placita, inter quae illud est praecipuum ac palmare: nullam posse aut debere fieri inductionem a phaenomeno ad substantiam. Quo suo placito dum isti hanc federationem et inductionem inconsuete negant, nesuspiciantur quidem quad eius eo ipso eandem vehementer affirmant. Isti certe, dum inductionem a phaenomeno ad substantiam negant, nihil videntur sibi aliud agere nisi hanc inductionem sumere ut merum ac simplex factum, quod nullo iure fulcitur; quodque iuxta ipsos perperem hactenus factitatum atque usu receptum erat in Logica, Philosophia, ceterisque scientiis. Ad vero factum hoc quod indignantur ultro admittunt, imo quo magis illud debellant eo fortius hoc factum^a affirmant. Hoc autem sufficit nobis. Pracant tantilium furori, et facto admissio, pacastius considerent quae fuerit semper atque sit huius facti origo, et numnam haec facti origo ipsa non sit illud ius perenne atque ineluctabile, quo ipsum factum illud, i.e. inductio ipsa, fulcitur inconcussa? Iam vero huiusmodi origo facilis inventu est, nec falli in hoc negotio possumus, eamque modo in superiori disputatione satis evidenter aperuimus. Sicut coecus eo quod visum non habeat, nullam de coloribus notionem habere potest, ita et mens nostra, nisi /teneret/^b innatam sibi illam intuitionem illius principii, quod vacavimus *P r o p r i u m e s s e*, et quo iubente fit inductio, nunquam certe ipsius inductionis haberet neve notionem neve suspicionem ullam. Factum illud, tam ingens factum, nunquam tunc habuisset locum, et prorsus impossibile esset. Si ergo inductio a phaenomeno ad substantiam est facta, facta est ipsa lege mentis iubente, et haec lex mentis perire prius debet, quam pereat inductio. Viderint igitur Positivistae quid negent, quum inductionem a phaenomeno ad substantiam negant. Ipsam legem mentis humanae e medio tollunt. Quid vero magis positivum quam lex mentis humanae, qua certe fundatur

20. Quod si et adverto, et cogito, et adtribuo, i.e. inductionem facio, argumentum est omni exceptione maius esse in mente mea ipsa causam et legem, et rationem huiusmodi sententiae ferendae, in talibus rerum adiunctis; adesse, inquam, principium quod me ita facere iubeat. Quapropter illa notio, apprehensio, perceptio, quocumque modo id vocabimus quod mentem nostram iubet unum referre ad aliud tanquam eius proprium certe principium est. Probasne?

Oppido probo.

Sed aio esse etiam primum principium, aut certe, quum plura ut videbimus prima sint principia, est unum saltem ex principiis primis. Ego autem dico, saltem ordine perceptionis, ordine chronologico, si mavis, principium hoc proprii omnino primum esse. Sed hoc postea. Nunc vero probare volo hoc esse unum ex primis principiis. Probo autem imprimis ex eo quod mens debet sine ullo medio illud in se intueri; etenim non habet in se aliud principium ullum per quod in cognitionem istius perducere potuerit. Esne in eadem sententia?

Sum profecto.

Secundo probo ex eo quod dum inquirebamus in elementa ideae generatim, accepimus a philosophis antecessoribus nostris duo forte elementa, notas sc. et subiectum, sed quum melius rem perpenderit, debuimus in altero horum elementorum, i.e. in nota seu proprietate, non unum agnoscere, sed rerum duo omnino elementa distinguere; proprietates et proprium esse. Hoc probe meministi?

Et quomodo non meminissem?

Responde igitur ex his tribus elementis: notis, subiecto et proprio, quodnam tibi prius videtur ceteris?

Possem quidem respondere; sed malo tu ipse dicas quodnam eorum sit primum.

Iam igitur faciam. In ordine phisico seu reali certe prius concipi debent, saltem logice, elementa quae coniunguntur, quam elementum quod ea coniungit, idcirco prius subiectum et proprietates, quam illa vis coniungens; sed in ordine ideali distinguendum est, seu potius subdistinguendum.

Dic igitur quomodo?

21. Distinguendum est inquam in illo elemento *P r o p r i u m e s s e*, duos veluti status quos habet in mente nostra, et in quibus sumi ac considerari debet. Alius est status principii, seu legis quae iubet actionem, alius vero est status actionis ipsius, i.e. ille status in quo mens principium universale in aliqua causa particulari affirmat, notasque et subiectum idealiter coniungit. Si hoc ultimum prae oculis habemus, certe et hic etiam subiectum et proprietates prius idealiter concipiuntur, quam actio quare ea coniungit. Sed res aliter se habet dum illud proprium consideramus tanquam principium actionem iubens.

omne quidquid est positivum in ideis, in ratiocinis, in scientiis omnibus? Itaque ut ius ad nomen suum probent id quod in scientia humana est maximum et primum positivum, tollunt e medio Posivistae? Sed haec est lex talionis et vindicta laesae veritatis.

^a Nota marginalis complens textum; extitisse et existere.

^b Prius fuit. habeat:

Nam plane non nisi per illud principium iudicare possum, utrum proprietates et subiectum revera ad se pertineant, an non; neque possem ea idealiter coniungere, nisi prius percepissem ope illius principii ea ad se idealiter pertinere. Prius igitur est illud elementum proprii consideretum uti principium, quam illa alia duo elementa, nempe subiectum ac proprietates. Concludo itaque inter omnia elementa ideae prima omnium esse elementum proprii, consideratum uti principium, ac proinde inter omnes notiones (ideas dicebamus in illis primordiis) primam hanc esse, sc. notionem (tunc dicebamus ideam) proprii. Iam nunc, optime amice, quum haec dixissem, possum tandem proferre meum ultimum: Dixi!

Hoc autem quid quaeso sibi vult?

Non intelligis? Quae rebamus primam ideam. Habes ipsissimam.

Intelligo, et etiam illud aliud intelligo: cur tam laetus tunc exclamasses: 'Εύχεκα!

Haec sunt propemodum quae tunc temporis menti nostrae evidentia apparuerunt, clavemque nobis dederunt scientiae principiorum cogitationis humanae ulterius aperiundae; quaeque iam diximus eo consilio nos referre, ut illi quibus forte haec probabuntur, facilius nos sequi possint. Unam tamen vel alteram observationem, quae nos tunc temporis fugerunt, hic addere operae pretium erit, ut omnia quae hactenus diximus statim a principio pleniora appereant.

Ante omnia notamus principium proprii quod statuimus, sicut non est proprietas, aut illud *P r o p r i u m* quod Porphyrius, Boetius et universa scholastica inter *P r a e d i c a b i l i a* ponebant, sic neque esse notionem seu principium quod aiunt rationis sufficientis. Hoc enim principium rationis sufficientis idem est omnino ac principium causae. Quum enim dicitur ratio sufficiens, intelligitur sufficiens ad producendum effectum; ea autem quae habet in se huiusmodi rationem sufficientem qua effectum producat, est utique causa. Iam vero principium proprii nullo modo idem est ac principium causae, quinimo est ei oppositum principium, ea nempe oppositione quae dicitur relativa. Exemplum oppositionis relativae praecipuum ac receptissimum habemus in relatione patris ad filium, filiique ad patrem, unde etiam notiones Patris et Filii sunt revera oppositae altera alteri illo relativo modo. Hoc autem exemplum mirumquantum illustrat oppositionem, quae est inter illa duo principia *P r o p r i i* et *C a u s a e*. Nam eundem in modum sicut filius intelligitur pertinere ad patrem uti ad suum principium, ita etiam principium proprii facit ut intelligamus quomodo proprietates pertineant ad subiectum; atque altera ex parte sicut pater intelligitur principium quod produxit filium, sic etiam principium causae docebit nos quo modo subiectum producat proprietates sitque earum vera causa.

22. Exposuimus itaque his paucis distinctionem et oppositionem inter illa duo principia. Ubi data occasione debemus rursum notare, post illam confusionem quam prius notavimus inter proprietates et principium proprii notare autem atriori calculo, hanc aliam confusionem inter hoc principium *P r o p r i i* et principium *C a u s a e*. Quum enim hoc principium proprii nunquam fuerit scienter observatum, atque distinctum ab aliis principiis, et praesertim a principio causae, et tamen nihilominus semper manserit in mente humana alte repositum, (naturale siquidem est, et ex natura erui non poterat), hinc fastum ut qui philosophabantur, in receptis philosophiae primis notionibus, seu principiis, huius principii proprii locum non inveniebant, referrent ac reponerent actum huius principii quod in mente eorum semper sua iura exercebat, in alium locum proxime vicinum, qui est sine dubio locus principii causae. Ita principium causae ultra suos limites naturales extendebatur, cui

hunc in modum adtribuebatur, non solum eius proprius actus, qui est ducere a causa ad effectus, et pressius adhuc a substantia ad phaenomena, a subiecto ad proprietates; sed dabatur ei insuper actus alienus, nempe actus principii proprii, qui est ducere a proprietatibus ad subiectum, a phaenomenis ad substantiam, ab effectibus tandem ad causam.

Haec confusio quo clarius percipiatur iuvabit in mentem reduxisse exemplum illud relationis inter filium et patrem quod superius attulimus. Profecto relatio ista ea est quae dicitur mutua, et duplex omnino dici potest ac debet, quamvis fundamentum eius, quae est generatio, unicum sit. Nam alia est relatio patris ad filium quippe in qua pater est subiectum relationis et filius eius terminus; alia vero est relatio filii ad patrem, ubi e contra filius subiectum est relationis, et terminus eiusdem est pater. Illa vocatur paternitas, haec autem filiatio; unde ipsum fundamentum relationis eodem modo duplicatur et duplex nomen sortitur: generationis activae et generationis passivae. Quid autem magis distinctum sibi quae oppositum quam activum et passivum? Iam nunc igitur supponamus philosophos et theologos de hac relatione tractantes, tales, qui constanter eam sumerent ex una parte tantum, quibus subiectum relationis semper esset pater et nunquam filius, qui unam solam nosset generationem, videlicet activam: nonne haec esse verissima et ingens confusio, cui diluendae id solum esset aptum remedium, aliam partem relationis suo loco accomodare, ut tota demum rei veritas sua iura obtineat, exercentque.

Iam vero ita omnino res se habet quando principium proprii non advertitur, non distinguitur, neque suo loco ponitur; atque eius partes principium causae occupat omnes. Non diluetur confusio, neque totius veritatis resplendet evidentia, donec hoc proprii principium suis tandem iuribus potitum fuerit.

23. Alterum quod volumus observare est locus ipse quo hoc principium proprii inter prima principia collocandum sit necessario. Iam monuimus ratum nobis certumque esse, hoc proprii principium, non quidem origine logico, sed naturali et chronologico, omnino primum esse, eiusmodi proinde quod nos ducat ad alia prima principia invenienda atque percipienda. Sed haec loci maius aliquid dicendum est, atque omnino affirmandum: non alia via, nisi huius principii ope, mentem nostram distinguere prima elementa rationalia sive idealia, haec tria inquam: tum notas seu proprietates, tum earum subiectum, tum demum utriusque termini coniunctionem ac proinde unitatem. Nisi in mente nostra innatum resideret eamque dirigeret hoc principium proprii, mens omnino illius distinctionis faciendae incapax esset, neque unquam aliquid simile praestitisset. Hoc itaque principium dum dictat unum ens, i.e. proprietatem quam proxime ac primam cognoscimus, non esse sui iuris sed pertinere ad aliud ens, sc. ad subiectum, eo ipso creat, ut ita dicam, ac producit in mente ipsos hos terminos relationis, proprietates scilicet et subiectum, atque utriusque etiam coniunctionem, quae quidem tria et elementa sunt ideae et omnis cognitionis summa. Producit itaque ac creat omnia elementa cognitionis seu ideae, atque ob hanc rationem non solum primum est inter prima principia, uti iam asseruimus; sed iure etiam merito dici potest ac debet *C l a v i s t o t i u s s c i e n t i a e*.

Hoc autem nullo modo dici potest de alio aliquo principio nequidem de principio causae, quod forte alicui in mentem succurrere potuit. Et re quidem vera principium causae non potest esse primum inter prima principia eam evidentem ob rationem quia actus mentis, quam iubet quemque dirigit principium causae, nunquam potest esse primus actus mentis humanae. Actus hic nempe procedit a substantia ad phaenomena, a subiecto ad eius proprietates, a causa ad effectus. Iam vero nos non videmus neque causam, neque subiectum, neque substantiam in se ipsis, imo vero nullo modo ea videmus, et solum ea supponimus per

illationem ab effectibus et phaenomenis externis, quae sola nobis sunt nota. Quemadmodum itaque non possumus incipere ab ignoto ut procedamus ad nota, et actus mentis qui hoc faciat nunquam potest esse primus; ita etiam et principium causae nunquam primum poterit dici.

Restat igitur ut primum inter prima principia sit principium proprii, quod nobis ianuam atque aditum aperit non solum ad prima elementa ideae et cognitionis seu scientiae, sed etiam ad cetera prima principia rite reperiunda; unde magis magisque evidens fit quam meritissime nos illud dixerimus *C l a v e m t o t i u s S c i e n t i a e*.

His prae-notatis et utcumque constitutis antequam ad theoriam ipsam accedamus proponendum, alia adhuc quaedam praeoccupare licitum nobis sit, quae hic loci aut commodius quam in corpore tractationis collocari possunt, aut utilius.

24. Primum igitur quod animadvertere volumus, est distinctio, olim quidem a Scholasticis satis supposita atque admissa, nunc vero a philosophis, prorsus, eheu, neglecta et quasi ignorata distinctio inquam inter ideas et principia. Nunc enim vero phanatismus idearum ita animos abripuit ut quidquid in mente humana inveniatur statim idea audiat; neque norint philosophi isti alia elementa aut alios actus in mente nisi ideas; adeo ut ipsa principia illis iisdem ideae sint, et non sine miraculo possis eos audire dicentes: *i d e a c a u s a e, i d e a e s s e*, ceteraque id genus. Quae confusio quam infelix sit, et quae tandem ex ea sequantur, id iam superius quum de pseudo-idea Esse loqueremur, aliquantulum attingimus. Nunc tamen clarius et evidentius considerare intendimus distinctionem quae est inter ideas et principia.

Quam quidem distinctionem videmur nobis uno verbo edisserere posse dum dicemus. Ideam esse *i d q u o d* cogitatur, principium vero esse *i d q u o* (cuius vi et ope) cogitatur.

Quas definitiones videmur nobis statim hic initio etsi non absolute probare, tamen non parum elucidare et probabiliter persuadere posse, si ad eam appellemus distinctionem quam superius fecimus inter principium proprii et actum huius principii, i.e. actum quem mens facit hoc principio iubente, qui actus est coniunctio proprietatum cum subiecto, et vocatur inductio. Unde et id tertium rite distinguendum curavimus; inde quidem elementa quae coniunguntur et quae sunt proprietates, hinc vero subiectum. Tria igitur distinximus et hic denuo distinguimus:

1° Principium agens, seu potius agere iubens;

2° Actum deinde qui fit vi huius principii, seu illam coniunctionem quae vocatur inductio;

3° Demum illa elementa quae coniunguntur, seu a quorum altero fit inductio ad alterum.

At vero quum haec tria distinxerimus nonne necessario addendum est etiam quartum, qui est terminus illorum trium? Re enim vera ex coniunctione elementorum efficitur aliquid quod non est idem atque erant ante coniunctionem illa elementa separatim sumpta. Erant enim duo, nunc autem per coniunctionem facta sunt unum. Hoc autem unum quid est tandem et quomodo vocatur? Est idea; haec inquam, haec est *I d e a*.

Quamobrem dicere possumus, non definiendo, quum nundum agamus de definitione ideae; sed declarando ac describendo quid idea sit: Ideam esse effectum actionis intellectus, actionis imperatae a principio proprii, vi cuius principii actione sua intellectus in obiecto intelligibili, et distinxit et composuit seu coniunxit elementa illius obiecti, et sic effecit ideam. Idcirco verissime diximus: primum quidem esse veram ac

necessariam distinctionem inter ideas et principia; Tum vero: Principium esse id quod (cuius vi et ope) cogitatur; Ideam vero esse id quod cogitatur.

25. Unde consequitur:

1° Ideam esse obiectum cogitationis. Principium vero esse vim producentem actum subiectivum cogitationis quo mens suo modo apprehendit obiectum.

2° Ideam esse a nobis factam; principium vero esse quod nos iubet facere ideam, facitque ut faciamus.

3° Ideam esse passivam, principium vero omnino activum.

4° Ideam venire ab externo proindeque esse adventitiam; principium vero intus in nobis semper esse et fuisse, proindeque esse innatum.

Hanc distinctionem si quidem recentiores philosophi advertissent, nunquam profecto dedissent nobis spectaculum illius levissimae quaestionis, in qua tam graviter dimicant, quaestionis inquam de ideis innatis; quia ne locus quidem poterat esse huic quaestioni si principia esset principis, et ideae illis iisdem esset semper ideae. Principia sunt certe innata; unde si principia ideas dicitis, sunt certe etiam ideae innatae; sed in hoc maxime error vester consistit, principia sumere ac si ideae essent, error, qui non alius est quam qui in Logica vocatur ignoratio elenchi. Ponitis in antecedente principia et in consequente concluditis ad ideas. Sed simul ac huic confusio parcere et vera principis admittere curabitis, sua sponte evanescet confusio, et vos ipsi perspicietis ac confitebimini omnes vestras ideas innatas (seu ut allis Placet: ideas dicerte intuitas) non esse nisi ea quae dici debent principia, neque extra eorum numerum ullam vagari ideam innatam, ac proinde ideas innatas nullas omnino esse.

26. Quid quod, hac distinctione opportune praevisa, immanis illa controversia quae toto ferme hoc nostro seculo scholas catholicas ex agitabat, illa inquam controversia inter Traditionalismum et Rationalismum, ne ipsa quidem locum habere potuisset? Profecto namque et ipsa tota fundatur hac confusione inter principia et ideas. Aequali enim errore Traditionalistae iuxta ac Rationalistae et principia et ideas oppido secum miscebant, tanquam unius generis notiones. Hinc factum est ut Rationalistae, dum audirent adversarios omnes ideas ab auctoritate, ab institutione, a revelatione repetere, etiam ideam (sic utrique dicebant) causae, aut esse, aut similes, nimium quantum indignabantur Traditionalistas. Et pro hac parte recte quidem. At vero dum sua vice Traditionalistae a Rationalistis acciperent rationem humanam ex se ipsa omnes ideas condere ac fabricare, proindeque et illas quas ideas dicebant, et causae, et esse, et similes^a et hunc in modum rationem esse

^a Haec principia certe innata sunt menti humanae, secus ac ideae, quae ope horum principiorum datis obiectis, ab ipsa mente efficiuntur et nullo modo a revelatione aut a traditione veniunt; quin potius illa eadem quae traditio dat, sunt obiectum tantum idearum quod mens humana, ope principiorum quae innata secum fert, in ideas tandem et ipsum convertit. Nihilominus tamen minus principia illa innata non statim ab initio in actu sunt, sed manent in potentia, neque mens humana est quae ipsa haec principia in actum deducat, sed quae vere ea in actum deducit, est vis intellectualis ab externo operum affirmationem (i.e. actionem intellectualem) in mentem agens, quae actio vel a Deo procedit, vel ut potissimum ab aliis hominibus, vel etiam a creaturis ceteris in datis rerum adiunctis. Hunc solum in modum salvatur illud axioma, quod est regula veritatis et discriminis inter Deum et res creatas, axioma inquam, asserens: Nullum ens creatum ex se ipso transire a potentia

veluti sui ipsius conditricem, et vix, aut nullo etiam modo non absolutam et divinam, id inquam praeter modum vexabat Traditionalistas et ne aegerrime id quidem ferre poterant. Et pro hac parte rectissime etiam. Tota igitur haec controversia, una illa confusione subnixa, una hac distinctione quoque, veluti magico verbo, sedari protinus potuisset, et nunc tandem eadem adhibita, componi et ex intimis mentibus evelli potest. At vero si haec distinctio ante controversiam utrique parti probata esset, nonne iure merito asserimus hanc diuturnam controversiam nunquam locum habere potuisse?

Manet igitur et vi sua propria stat distinctio inter principia et ideas. Et hoc erat primum quod rite advertere ac constituere necessarium putavimus. In hac autem distinctione rursum notamus, monemusque lectorem velit et ipse id bene notatum in mente servare, praecipuam partem ac veluti naturam huius distinctionis in eo consistere ut illa duo elementa quae menti nostrae insunt principia nempe et ideas, ita inter se distinguantur sicut activum distinguuntur a passivo.

Alterum, quod nunc advertere curae nobis est, uno hoc monito continetur: Organon scientiae humanae quod exponendum aggredimur, totum esse in principiis rite pernoscendis, constituendis, adaptandisque.

Et re quidem vera debemus ante omnia permoscere ipsa principia, it est invenire atque intelligere quae et quanta sint; tum vero debemus ea unumquodque /suo/ loco, suoque ordine constituere; tum denique regulas indicare, seu potius ex ipsis principiis educere, quibus quidem regulis illa principia et ideis efformandis, et ratiociniis peragendis et toti scientiae constituendae rite aptari possint.

Erit haec igitur nova scientia, plena in se ac integra; Scientia de principiis, et non de ideis, nisi modum excipias, quo ideae efficiendae sint. Hanc vocavimus inde ab initio scientiam instrumenti, illius nimirum instrumenti quo tota qua late patet scientia humana construitur ac perficitur. Est igitur una simul non solum scientia instrumenti, sed etiam ipsum instrumentum scientiae: adque hanc ob causam nuncupavimus totam tractationem simplici vocabulo: *O r g a n o n s c i e n t i a e h u m a n a e*.

27. Haec porro non est Logica, seu potius, ut accuratius loquamur, non est Ideologia. Enimvero quaedam pars Logicae communis occupatur quidem in iisdem quaestionibus circa principia solvendis; sed praeterquam quod non omnia principia attingat, quia etiam principia miscet cum idis, multa alia extranea adsciscit et confundit quae ad hanc scientiam de instrumento non pertinent, quaeque demandari debent ad aliam scientiam, cui Ideologiae proprium est nomen.

Quinam /sit scopus/ huius scientiae, quam sic Ideologiam vocamus, et quam ampli sint fines hoc postea suo loco dicturi sumus et veluti paradigmate ante conspectum exposituri, nunc vero id dicere praetermittimus, ne cogamus sine certo fundamento de re hactenus tam incerta disserere. Unum hic tantum modo lectorem monitum voluimus, tractationem nimirum nostram differre a Logica communi, ob duplicem illam quam attulimus rationem: tum quia Logica non omnia principia docet, tum etiam quia non sola principia.

in actum, sed omne quod movetur ab alio moveri (s.Th.e.g.L.1 c.13), maxime autem si agatur de ente in prima sui potentia et in primo actu.

Tertium quod nos hic in Prologo protulisse invabit, est iudicium de initio philosophandi. Quaestio est enim non levis a quo primo puncto philosophia exordium sumere debeat. –

Non est nobis certe hic sermo de elementari philosophiae institutione, ac de vulgaribus enchiridiis quibus continetur; quaeque parum laborant, ubi incipiant, dummodo summam omnes quaestiones exponant. Agimus de philosophia quae vult esse atque esse debeat scientia, ac eo ipso necesse est habeat suum certum principium quod simul eius erit initium, suam indubitam methodum, suas necessarias conclusiones. Loquimur igitur de systematibus philosophicis, nam omnis scientia est etiam systema; et nisi philosophia quoque systema sit, scientia esse non potest.

Quodnam igitur erit initium philosophandi et illud primum a quo philosophia incipiat?

Systemata philosophica incipiunt ab aliqua idea. Iam Cartesius posuit illud suum famosum *C o g i t o*. Leibnitiu profert suam *M o n a d e m*, si tamen aliqua prima Monas inter tot alias et innumerabiles cogitari tandem potest. Kantius implicitius aliquantum^a. Fichte vero explicite omnino collocat propria basi suum proprium *E g o*. In systemate Hegelii initium facit *E s s e*: esse quod neve est tale, neve tale, sed est idem sc *N i h i l*. Hoc *E s s e* non amplius neutrius generis, sed factum *I d e a l e*, fundamentum est philosophiae Rosminio, factum vero *R e a l e* est primum philosophicum Giobertio. Haec sunt nonnulla rei exempla. Passim igitur systemata philosophica incipiunt ab aliqua prima idea.

28. At vero hunc in modum systemata philosophica, etsi id ignorent, de maxima tamen re periclitantur; nam initium ac fundamentum, summam rerum suarum, dant profecto in aleam. Fac nempe, illam primam ideam nullam ideam esse? Nonne omnia ruant necesse est?

Et re quidem vera oportet omnino ut talis philosophus qui ab aliqua idea systema suum exordiri constituit, sciat oppido prius quid sit idea, ne a falsa aut nulla, sed a vera idea systema suum tandem securus incipere possit. Hinc prius debet profecto scire quomodo fit vera idea. Iam vero hoc scire non poterit nisi antea rite peroverit ipsum instrumentum, quo tandem efficiatur idea. Prius igitur debet profecto instrumentum cognoscere, eaque omnia que ad eius bonam notitiam pertinere noscuntur.

Sed si ita res se habet, si philosophandi negotium ante omnia bonam notitiam ipsius instrumenti exquirat, ut tandem incipere atque ulterius procedere possit, nonne evidens est, non ideam aliquam, sed notitiam instrumenti cogitandi, omni dubio procul totius negotii huius initium esse necessarium? Instrumenti inquam quo omnis fit idea, sive prima, sive non prima?

Certum itaque apparet hoc esse primum philosophiae studium, hoc initium a quo exordiri debeat: Quenam videlicet sit lex cognoscendi et cogitandi? Quodnam et quale sit instrumentum ex hac lege pendens?

^a Dum sermo de Kantio est oportet distinguere inter auctorem Systematis (quod /postea/ ex ipso Fichte plenius condiderat) et perquisitorem legum rationis, quaequidem /perquisitio eiusdem est cum praesenti perquisitione/ nostra. Hac de re inferius.

Aberratio igitur erat incipere philosophiam ad idea aliqua. Hanc esse aberrationem, eamque maximam, non solum patet ex his quae diximus, sed ex allia etiam rationum momentis satis superque id idem probari potest. Incipere enim ab idea, nonne idem est in philosophandi negitio atque incipere ab obiecto scientiae? Idem omnino; sicut enim omnes facile dabunt instrumentu scientiae de facto et de iure, ut siunt, pertinere ad subiectum; ita etiam nemo negare poterit ideas pertinere ad obiectum, et obiectum scientiae constituere. Si igitur ab idea incipimus, agimus utique quasi iam rite ac firmiter teneremus scientiae obiectum, sed hoc quo iure? Haec enim quaestio est, et haec causa in philosophia agitur, quomodo nos apprehendamus, nostrumque per cogitationem faciamus, hoc idem scientiae obiectum? Isti autem qui ab aliqua prima idea (quae est iam aliquid de obiecto) sine haesitatione incipiunt, ut deinde systematice ad ceteras alias ideas perveniant, et ita systematice ex prima aliqua particula totum scientiae obiectum construant, idque facientes nullum ius suum ad illam primam ideam demonstrant, neque legitimam viam qua ad illam pervenerint, nonne videntur potius illam primam particulam quasi clam abstulisse, furi similes, qui prius clavem furatus esset, /cuius ope/^a deinde omnia ad quae per clavem aditus patet ex alienis sua faceret?

29. Quod dicimus iniuria non est, /idque ob/^b bonum rationem; /nam/^c illa elementa idealia quae ad instrumentum pertinent sola sunt in domo nostra, i.e. in mente, proindeque sola revera sunt nostra et de iure et de facto, uti diximus. Ab his iure incipere possumus et debemus, maxime quidem quia nostra sunt; a nostro penu ea promimus et non aliunde auferimus. E contra illa elementa quae ad ideas pertinent in nobismetipsis non repeiruntur, debemus ea veluti emere, aut certe legitime acquirere; quamobrem debemus etiam prius apud nos invenire veluti pecuniam necessariam ad emendum, aut certe modum, laborem, auxilia, quibus rite et lege utentes illud alienum bonum nostrum tandem faciamus.

Patet igitur initium philosophiae positum esse in hoc studio quo instrumentum cognitionis humanae ac totius scientiae pernoscere ac rite scire curabimus.

Verum enimvero quo rursus modo hoc ipsum studium de instrumento scientiae incipere debebimus?

Ante omnia consideremus necesse est quae res agatur, quid quaeramus et optinere velimus ope huiusmodi studii?

Ad quam quaestionem respondere licet: Nos quaerere et obtinere velle rectam et plenam theoriam intellectus humani. Et quia iam scimus discrimen quod intercedit inter principia et ideas, possumus distinctius /etiam/^d respondere: /intendere nos scilicet/ theoriam /quae/ debeat potissimum considerare activam partem intellectus humani, /i.e./^e principia quibus intellectus regitur in cognoscendo, iudicando et concludendo.

Philosophia scholastica dedit nobis amplissimam intellectus humani theoriam, et forte sectatoribus huius philosophiae inutile omnino nisi forte etiam temerarium videbitur nos aliquam aliam exquirere. At vero nos theoriam scholasticam iusto pretio aestimamus

^a Prius fuit: ut

^b Prius fuit: ob hanc

^c Prius fuit: quod

^d Prius fuit: adhuc

^e Prius fuit: scilicet

ac /suscipimus/^a; nec dubitamus eam proclamare omnium theoriarum quae hactenus datae fuerant, et verissimam et perfectissimam; ideoque sine haesitatione omnes eius partes in quibus est vera (sunt autem pene omnes), et nos nostra faciemus. Nihilo tamen minus non possumus eam dicere omni ex parte veram, et magis adhuc non possumus eam integram et omnibus numeris absolutam pronuntiare; unde etiamsi dare possemus omnia quae habet vera esse, addere tamen deberemus eam deficere, proinde neque plane esse veram, ex ea parte nimirum qua non habet ea quae habuisse necesse erat. Non est hic plane locus neque opus demonstrare quaenam sint ista et quaenam illa; erit suus huic rei locus, in quo veluti schemate propositio, unam theoriam ad latus alteri apponentes, solo aspectu et conferemus simul et alteram ex altera iudicabimus. Heic vero loci eo consilio haec pauca de theoria scholastica diximus, ut lectorem moneamus nos non quaerere iam inventa et quae tam conspicua sunt; sed si quidem quaerimus, quaerere nos ea quae nondum sunt reperta, et quando quidem ibi necessariae erant lacunae, ubi non omnia erant nota, quaerere nos insuper et obtinere velle integram harmoniam et planum aedificium huius theoriae de intellectu humano.

30. Post scholasticam theoriam non refert ut de aliis mentionem iniiciamus, quarum singulae magis magisque a veritate aberrant, quo magis ab illa theoria discedant. Non possumus tamen unum praeterire nomen, et hoc est Kantii.

Iam sunt centum omnino anni ex quo Kantius aggressus est idem ferme opus quod et nos hodie perficere aggredimur naturam scilicet et leges humanae mentis expendere et definire. Post Aristotelicum organon, solum hoc Kantii molimen /attentionem/ eamque non levem meretur, non modo ob ingentem rerum commutationem quam in orbe excitavit philosophico (nam hoc et Baconis de Veluramo *N o v u m O r g a n o n* praestitisse ex parte dicendum est; quamvis sit opus ultimae notae et sine ullo in philosophia censu). Sed etiam ob ingenii acumen /et raram in multis perspiciam, quamvis pro rei veritate et id fatendum est, hoc agregium Kantii ingenium saepissime nihilominus/^b quo subtilius in rem inquisisset, eo magis inde inaudita et enormia extraxisse; ac si probare vellet eum qui novam ex toto logicam condere aggrediretur, unica illa veteri /et scholastica Logica/ pessumdata, eo ipso omnem Logicam perdere /debuisse/^c et una cum ipsa rationem quoque; quamquam /glorietur/^d se in illa peregrinatione tresve quatuorve /pro una/ rationes /feliciter nactum esse/^{ef}. Nihilo tamen minus nos vel ipsa haec deliramenta Kantii praeter modum magis existimamus quam omnes pseudo-doctas ineptias Baconis; et quin ea flocci faciamus, suspicimus potius, nostroque modo ad nostrum usum convertimus. Imo aliquid maius forte licitum nobis erit dicere, nempe haec ipsa magni ingenii erata, vim aliquam probandi in se habere, et si cum vera et plena theoria de intellectu humano conferantur, erunt quamvis negativum in modum, totidem argumenta pro eius veritate.

Sed remanet quaestio: quomodo incipiemus hoc ipsum nostrum studium de instrumento scientiae humanae, quod scimus dare nobis debere plenam et integram theoriam de humano intellectu?

^a Prius fuit: suscipimus

^b Prius fuit: ob ingenii acumen quod quo subtilius ...

^c Prius fuit: perdidisse ...

^d Prius fuit: gaudeat

^e Prius fuit: invenisse

^f Quatuor ferme sunt apud Kantium praeter imaginationem /rationes/, quarum duae praecipuae: 1° Intellectus (Verstand), 2° Ratio pura (Vernunft, die reine); et duae minorum gentium, 3° Iudicium (Urtheilskraft), 4° Ratio practica (Vernunft, die praktische).

Respondemus duas est vias quae nos ducant ad hanc metam eandem. Quarum unaquaeque quum habet initium.

31. Altera via, quae ingens ac fere immensum spatium percurrere debet, ea est quae omnia assumit quae menti humanae insunt, totum, ut sic loquar, inesse humanae mentis, et in hac entium idealium immensitate omnia examinando, ad genera sua reducendo, dividendo, eliminando, quaerit praesertim quae sint ideae et quae sint principia, deinde inter ipsa principia quae sunt priora, et inter prima quae sunt omnium prima. Magnus quidem labor, at non omnino improbus, quinimo suo quodam sapore iucundus, et qui sua habet emolumenta. Re enim vera primum eius pretium hoc est sine dubio, quod incipiat a re certa, quamque nemo infitias ire poterit. Quidnamque menti nostrae certius esse potest quam ipsum eius inesse? Alterum huius methodus commodum in ea facilitate est situm, quo illud inesse mentis prae oculis et manibus, ut ita dicam, statim habere possumus. Hoc enim inesse mentis idem est ac sermo humanus, neque aliquid potest esse in mente nisi sit in sermone, aut extemplo in eum recipiatur; quo fit ut qui lexicon ad usum habeat, et hoc inesse mentis illico teneat eoque uti possit. Huic autem aliud etiam commodum subiungitur hoc, quod omnes partes in quae sermo humanus dividitur, omnesque leges quibus regitur, seculari ac religiosa cura summorum in hoc genere virorum iamdiu exploratae ac firmatae sint; adeo ut non minus quam Lexici, Grammaticae etiam codex philosophico exploratori suppetias veniat opportunissime. His munitus, philosophus satis facile instituere potest examen illius, de quo loquimur, inesse humanae mentis, quod quidem examen, ut iam nunc praevidere possumus, dabit nobis quandam, sit fas ita loqui, philosophiam sermonis. Haec peculiaris philosophia scienter explorabit quaenam sint elementa quibus sermo constet, videbit quae elementa a quibus pendeant, ut tandem perspiciat et assequatur quae sunt ultima illa seu potius prima elementa a quibus cetera dependeant omnia. Haec autem prima omnium elementa omni dubio procul erunt simul prima principia, simulque leges quibus regitur intellectus humanus; ut nisi haec talia esse invenirentur, certo certus /calculus/ rei male erat subductus et rem totam necesse erit iterum ad calculos vocare.

Et haec est prima via quam tamen sequi non est e re nostra, ob hanc potissimum rationem quia brevior habemus et non minus tutam.

32. Altera igitur via erit eadem cura, quam modo diximus universo sermoni adhibendam, similique examine in unam tantum modo incumbere ideam. Una sola idea in tali negotio tenebit locum totius sermonis; adeo ut exploratis elementis quae unam qualemcunque ideam constituunt, explorato etiam processu quo haec elementa in unam ideam coaluerunt, habebimus eadem omnino, atque omnia ea quae ex simili studio in universum sermonem impenso habere potuerimus. Neque hoc mirum esse debet; nam quum totus sermo ex terminis constet qui et ideas et principia designant, potest dici constare totus ex ideis et principiis; una igitur idea et unum principium iam satis repraesentares totum sermonum. Deberemus itaque studium nostrum incipere ab aliqua idea et ab aliquo principio examinando. Iam vero si incipimus ab idea statim nobis ex ipso examine patebit unamquamque ideam effectum esse ac veluti opus principii quod in ea latet aut saltem ab ea necessario indicatum est, quem in modum causa semper indicata est a suo effectu. Ex solo hoc igitur examine ideae unius habebimus omnia quae a nobis exquiruntur: habebimus nimirum et elementa quibus constat idea, et principium quod ex his elementis ideam efficit. Atque hunc in modum solum unum ideae examen dabit nobis integram legem ac plenam theoriam humani intellectus.

Qua in re pulchrum aliquid, nostro quidem iudicio, nirari possumus. Nam sicut superius non tam abscondite pervidimus ideam esse syllogismum implitum, syllogismum vero

non esse nisi ideam explicitam, ita nunc satis probabiliter cernere iam possumus ideam esse sermonem universum veluti in unum punctum contractum, sermonem vero non esse nisi ideam in infinitum quidem multiplicatam et explicatam atque in hac etia infinitate sua exhibentem formam solius unius ideae. Etenim sicut in idea duo sunt extrema elementa: subiectum et notae seu attributa, medium vero elementum est principium seu vis coniungens, seu potius actus huius principii; ita etiam in sermone universo, non octo sed omnino tres sunt essentielles eius partes seu elementa, duo extrema: *s u b s t a n t i v a* et *a d i e c t i v a* quae coniungenda sunt, et unum medium quod ea coniungit: *v e r b u m*. Ceterae partes quas grammatica designat, non sunt nisi modum referentes, uti indeclinabiles; aut a substantivis et adiectivis nonnisi modaliter differunt, ut *P r o n o m e n*, *P a r t i c i p i u m* et *A d v e r b i u m*. Sermo itaque universus est tanquam magnifica arbor in immensum se porrigens et nimia veritate delectans; sed sicut arbor ex uno oculo seu gemma exsiluit et non est nisi haec eadem gemma millies milliesque ingeminata; ita et sermo ex una forma essentiali elicitus est, quae quamvis centies millesque duplicata sit, molem quidem auxit naturam tamen non mutavit, et est semper eadem forma, est semper idea.

Quamobrem, hanc naturam sermonis admirantes, melius adhuc intelligere possumus cur tandem sufficiat naturam unius ideae examinasse, ut ipsam legem intellectus humani assequamur. Sed alia etiam ex parte et id perspicere possumus quousque sermo ipse et lex quae eum regit, regula sit ac codex ad quem conformari debeat omnis theoria intellectus humani. Possumus hinc etiam intelligere quam ob causam, postquam ex natura ideae examinata statuerimus legem humanae mentis, hanc eandem legem postea ex totius sermonis natura ac lege confirmare operae pretium erit.

33. Heic loci finem Prologo nostro facere utique possemus, quum videamur nobis ea, saltem praecipua attingisse quae ad rem ipsam a nobis proponendam faciliorem viam sternere poterant. Verumtamen non possumus quin unum adhuc argumentum proponamus; quod quum generale sit, et toti huic theoriae intellectus mirum in modum aptari videatur, nollemus illud in aliquem particularem locum, veluti in angulum, relegare, sed malumus hic potius in fronte ipsa operis tanquam doctrinae totius signum et documentum evidentius exponere.

Argumentum porro hoc analogia est quaedam, revera existens et iure merito facienda inter visionem intellectualem et visionem phisicam, inter leges unius et leges alterius, quam quidem analogiam nemo est qui non admittat; quin potius tam evidens est ut etiam in exemplum passim citetur. „Dicitur aliquid analogice, ait S. Thomas (de ver.2.II, art.11. in c.) ... sicut nomen visus dicitur de visu corporali, et de intellectus; eo quod sicut visus est in oculo, ita intellectus est in mente.” Attamen etiamsi haec analogia ab omnibus admittatur tanquam analogia sic dictae proportionalitatis, proportionales tamen ex hac et illa parte non eadem ponuntur ab omnibus. /Ignorantia verae theoriae visionis corporalis ex una parte, ex altera autem non plena cognitio naturae intellectus humani id efficiunt ut elementa quibus^a coalescit visio corporalis, et elementa quibus perficitur intellectualis non semper /in hac analogia vera et iusta^b ponantur, neque paria paribus apud omnes /sibi/ respondeant. Simplicissimus tamen est isthic proportionum ordo, praesertim si in visione corporali elementum medium, quae est lux, in ea significatione sumpserimus, et iuxta eam /theoria^c, quam de luce recentior /et vera/ tradit scientia. Quare missa facimus aliorum

^a Prius fuit: ... ab omnibus, i.e. elementa ex quibus coalescit ...

^b Prius fuit: ... non semper eadem ponantur,

^c Prius fuit: notitam

pronuntiata et pro nostra parte hunc simplicissimum ordinem simpliciter exponere curabimus.

Tria sunt essentialia elementa quae visionem corporalem constituunt, quorum, si quod deerit, visio haberi non poterit; tria inquam; quorum duo extrema et unum medium. Extrema sunt:

- 1°. Oculus ipse tanquam subiectum visionis;
- 2°. Res visui expositae tanquam eiusdem visionis obiectum;

Tandem medium elementum:

3°. Lux, quae est vis^a coniungens et subiectum cum obiecto, et viceversa hoc cum illo.

34. Ad actum itaque visionis non solum necessarius est oculus, utpote subiectum, quae est etiam potentia receptiva visionis, non solum necessarium est id quod videtur, utpote obiectum quae est etiam conditio visionis; sed aequo iure et eadem necessitate requiritur lux, utpote vis movens et coniungens obiectum cum subiecto, quaeque hunc in modum est causa efficiens visionis. Lux itaque non est tantum conditio sed vera causa visionis, quae subiectum visionis, i.e. oculum (qui ut mera potentia visionis, passive se habet) deducit ex potentia in actum, et sine qua agente nunquam oculus ex sua potentia visionis ad eius actum pervenisset. Obiectum autem visionis tanquam eiusdem conditionem se habere memo non videt.

Porro haec omnia ita se habent ante actum visionis, quando separatim in se considerantur. Sunt elementa ex quibus visio efficitur. Postquam vero visio iam effecta est quamdiu actu perseverat, haec tria elementa nullo amplius modo separatim existunt, sed

^a Et hic appellamus ad iliam notitiam de luce cuius superius mentionem fecimus, notitiam de luce quam nobis recens et accuratior dat scientia. Lux igitur quam videmus nihil est aliud nisi motio aut motus, ut aiunt, sub certis conditionibus in materia se manifestans, et haec manifestatio dat nobis phaenomenon lucis, sicut idem motus in aliis conditionibus dabit nobis alia phaenomena, puta caloris, electricitatis, ceteraque id genus, Est igitur quidem motus, secundum scientiam. Et hic scientia sistit, atque ad causam motus assignandam procedere veretur; aut nimis timida, ne forte fallatur; aut potius nimis arrogans, dum proximam causam negare mavult, ne eam admittendo ultimam etiam, qui est Deus, et quem superbe ignorare affectat, admittere cogatur. Quo in negotio iam nos est certe scientia, neque meretur ut ipsa consistente et nos etiam sistamus. Idcirco ultra progredimur et motionem seu motum effectum dicimus; et quandoquidem nullus effectus dari potest sine causa, nec motus igitur esse potest sine movente. Id autem quod proxime movet est vis e i u s d e m n a t u r a e qua et motus. Progredi igitur cogimur a motu ad vim, atque scite asserere: lucem sicut calorem et cetera id genus, esse quidem motum ad extra tanquam effectum manifestatum, sed ad intra esse vim, producentem illum effectum qui est motus, et qui ad extra illam vim manifestat. Ceterum haec vis unica est, sed non ideo unicus motus, qui variatus in suis conditionibus, varia etiam manifestat phaenomena. /Deberemus etiam hic ultimo dicere hanc vim nullo modo esse actionem ipsius Dei, quod pantheisticum simulque falsum esset; sed esse sui generis e n s c r e a t u m, cuius est producere motum; deberemus inquam hoc dicere; sed quia non est iste locus rei huius probandae, eo usque non progrediemur, et satis nobis erit haec/ pauca de vi praelibasse. Suo loco grandis nobis de vi sermo erit, quum totum Organon Scientiae non sit nisi vis intellectualis in intellectu nostro agens.

omnia tria uno eodemque actu in subiecto, i.e. in oculo vidente manent. Tum actus ille quem illa vi, i.e. luce agente, oculus /recepit/^a externe, eadem vi, eadem luce agente ad intus convertitur; actui externo respondet par pari actus internus. In hoc autem veluti secundo actu tria similia sunt elementa: subiectum, obiectum, et vis coniungens. Sed hic subiectum non est amplius oculus, qui vel ideo non potest subiectum ultimum visionis esse, quia multa visa continent et in se refert totam varietatem obiecti; subiectum autem, ut sit verum subiectum, non multa, sed unum debet esse. Itaque subiectum, in hoc actu visionis intra, est unitas sensus visionis: quae unitas non est amplius anatomice in materia (i.e. in corpore) quaerenda, quippe quae proprius animae inhaeret, et presius adhuc in imaginatione ponenda est. Obiecti vero loco in hoc actu interno visionis est ipse oculus, qui sic ex subiecto externo factus est obiectum internum; seu, accuratius loquendo, hoc obiectum visionis internae sunt illae species impressae, quae in oculum ab obiectis externis per lucem sunt receptae. Vis autem coniungens hoc novum obiectum ambigue naturae (nam ad extra subiectum est, et ad intra obiectum) cum illo intimo subiecto visionis quod indicavimus, haec vis inquam est eadem lux, cuius motio ab obiecto externo ad oculum pertingens, in eoque species illas rerum imprimens, traicit ad intra, eo iam ipso quod has species illuminaverit, seu potius luminosa impresserit. Ista species namque sic illuminatae, seu potius luminosae, lucem quam secum ferunt intus transmittunt, et sic a subiecto illo ultimo videri possunt ac videntur.

35. Itaque actus visionis corporalis et unus est omnino, et tamen bifarius, cuius utraque pars tribus constat elementis, subiecto, obiecto et vi coniungente, ita tamen ut subiectum illius partis quae ad extra est, i.e. oculus /fiat/^b simul obiectum illius, quae ad intra convertitur. Atque hoc modo quinque tantum sunt revera elementa visionis, quorum quidem illud medium, qui est oculus, duplici fungitur officio: et subiecti ad extra, et obiecti ad intra.

Hic sistimus in hac corporali visione exponenda, nam omnia fermae videmur nobis attingisse quae eam constituunt. Restaret quidem ulterius explicandum quodnam esset illud ultimum subiectum, quam diximus unitatem esse totius sensus visionis et ipsam animam attingere; attamen necessarium non est huiusque nos progredi, et sufficit notasse, speciem impressam ab extra in oculo (quae species habebat ibi suam quantitatem seu spatium), simul ac recepta fuerit in illo ultimo subiecto visionis, quod certe in imaginatione radicem figit, aut cum illa convertitur, transire ibi seu transformari in alium statum, in quo ad unitatem reducitur; nimirum in speciem sensibilem, seu in phantasma, ut cum Scholasticis loquamur. Aliam enim esse speciem impressam in oculo, aliud vero phantasma seu speciem sensibilem, vel id solum probat: speciem impressam in oculo, sublato obiecto vel sublata luce, et ipsum paulatim deleri; phantasma autem remanere intus, ac perpetuo conservari; praeterquam quod species illa in oculo certum spatium occupabant, phantasma autem quod in imaginatione remanet, sicut et imaginatio ipsa, nullo spatio metiri potest: eo vel solo, quod imaginatio ipsa suo modo omnia spatia metitur, extra se non excurrens.

Haec sufficit notasse, ut totam theoriam corporalis visionis, quatenus ad usum hic nostrum necessaria est, probe teneamus.

Veniamus nunc igitur ad intellectualem visionem, de qua iam iure videmur dicere posse, ibi eam incipere, ubi desinit corporalis, sc. a phantasmate, seu a specie sensibili. Hic cum scholasticis loquimur non solum quia eorum doctrina prae ceteris nobis arridet, aut utilius esse potest; sed quia vera vel, saltem proxima veritati, et propior quam ceterarum

^a Prius: produxit;

^b Prius: sit

quaecunque alia. Nam hoc postea aliquando demonstrare confidimus: theoriam Scholasticam de intellectu non solum in omnibus quae postiva habet veram esse; sed inter omnes ipsius Scholasticae theorias hanc perfectiorem ceteris et vix non omnibus numeris absolutam esse dicendam.^a Punctum itaque a quo incipit visio intellectualis, est utique phantasma; sicuti punctum a quo incipit visio corporalis est illa species, quae ab obiecto externo elicitur, /oculo/ impressa invenitur. Phantasma autem est *s i m i l i t u d o i n d i v i d u i* seu rei particularis in phantasia seu in imaginatione existens. Hoc erit obiectum visionis intellectualis, quamvis non sic simpliciter uti est, sed eum in modum quam mox declarabimus.

36. Subiectum visionis intellectualis, erit necessario ipsa mens nostra et primo quidem ea ex parte qua est receptiva specierum, utique intelligibilem, ex qua parte est veluti oculus intellectualis,^b et quem nihil nos prohibet cum Scholasticis vocare ex hac parte intellectum patibilem seu possibilem.

Nunc vero, sicut oculus corporeus nihil prorsus videret, sive ei deesset obiectum visionis, sive desideraretur lux illuminans; ita etiam scies mentis nostrae, ut sit instructa ad intelligendum, nihil tamen intellectualiter videre posset, non solum si ei deesset illud phantasma, quod est eius obiectum proprium; sed etiam si non adesset lux intellectualis, quae et illud phantasma, et ipsum intellectum, illuminaret.

Tertium itaque elementum ponendum est ex necessitate in nostram visionem intellectualem, et haec est intellectualis lux; cuius quidem primum officium est, illud obiectum, i.e. illud phantasma seu speciem sensibilem illuminare intellectualiter, ut ab intellectu videri possit.

Hoc phantasma scilicet, sicut monuimus, existit iam in phantasia modo diverso ab illo quo existit in oculo; in oculo etenim habuit quantitatem, in phantasia vero habere eam, non potest. Nihil tamen minus coniunctum est per lucem in phantasia cum illa specie quantitativa quae est impressa in oculo, quam ob rem phantasia ipsa non potest eam repraesentari sibi aliter quam sub conditione quantitatis; nam phantasia in suo lumine non videt aliud nisi eam speciem cum quantitate impressam, ad quam refertur phantasma. Requiritur igitur et aliud subiectum, videns sublimius vel intimius positum, quam illa unitas visionis quae est in phantasia; et insuper alia lux, quae ex altera parte sublimius et intimius illuminet illud phantasma, ut possit ab illa specie quantitativa particulari abstrahi, et hoc phantasma videri sine quantitate discreta particulari, i.e. videri in eius unitate, et quantitate intellectualiter tantum considerata. Hoc est abstrahere a conditionibus particularibus et a materia particulari, atque hoc facit illa lux intellectualis, quod dicimus tertium elementum intellectualis visionis.

Hoc elementum apud Scholasticos vocabatur intellectus agens, eratque praecipuum elementum eorum theoriae intellectus et cognitionis humanae, quae quidem theoria ob hanc maxime rationem praecellit omnes alias, quae hoc elementum aut nullo modo aut vix quidem norunt. Hoc tamen non ea dicimus ratione ac si doctrina de intellectu agente, sicut eam passim Scholastici tradunt, omne iam punctum tulisset, neque in ullo deficeret; quum certe in hoc saltem rimites recti excessisse dicenda sit, quod intellectum agentem docuerit sui generis potentiam esse, ab aliis potentiis et maxime ab intellectu possibili diversam; dum e contra intellectus agens, licet ab intellectu possibili revera diversus sit, tamen nulla

^a S.Th.I 85.1ad 3. Cfr.,I, 78.4.c et 81.6. ad 2.

^b „sicut visus est in oculo, ita intellectus est in mente”. S.Th.I.sup. cit.– Itaque mens est ut oculus, intellectus ut visus.

est potentia, sed est simpliciter sui generis lux, lux autem potentia non est. Et quamque Scholastici et hoc asserant, intellectum agentem esse ad instar lucis ac etiam perinde et lucem eum appellend, non adverterunt tamen lucem non esse potentiam, atque ideo intellectum agentem si lux est, potentiam esse non posse.

37. Haec tamen declarationis causa tantum dicimus, non vero ut ea nunc ex professo probemus, namque hoc remittimus ad suum locum, ubi praesentis nostrae theoriae cum Scholastica theoria accuratissimam comparisonem instituere curae nobis erit. Heic tamen loci declarare utique oportebat qua significatione hoc tertium elementum dicamus lucem, et num eadem omnino /ratione/, qua etiam intellectus agens, dicebatur et dicitur lux. His autem quae modo diximus perceptis, iam patet lucem intellectualem in hac theoria quam exponimus, esse in omnibus, servata tamen differentia ordinis corporalis et ordinis intellectualis, similem luci corporali eiusque conditionibus in agendo. Sicut igitur lux corporalis non est in visione corporali, neque esse potest potentia ab oculo diversa, sed oculus solus et potentia est et subiectum visionis, ita etiam in visione intellectuali solus intellectus (distinctione omissa inter possibilem et agentem) est potentia et subiectum visionis intellectualis, quem tamen in actum deducit intellectualis lux illa, quam declaravimus, et quae simillima est intellectui agenti Scholasticorum atque omnia eadem perficit, quae et intellectus agens in theoria Scholastica^a, hac sola differentia inducta quod non sit potentia, sed vis; quaemadmodum et lux corporalis vis est et non potentia.

38. Hunc in modum habemus satis adumbratum primam partem visionis intellectualis, qua obiectum eius ex specie sensibili, seu ex phantasmate fit species intelligibilis; quod negitium percipitur in oculo nostro intellectuali, sc. in mente, in quantum conversa est ad extra sui, i.e. ad illud suum obiectum quod est phantasma. Sed hic non sistit visio intellectualis; quin potius et haec visio, quaemadmodum illa prior corporalis, convertit se ad intra sui, et ponit aliam partem eiusdem actus, ut efficiatur tandem plenus actus visionis,

^a Hanc similitudinem magni facimus; haec enim et probat quod antea asseruimus theoriam scholasticam veram esse, et declarat nostram theoriam in iis quae Scholastica essentialia habet ab illa non differre. Nam hoc est essenziale in doctrina de intellectu agente: definirequid intellectus agens agat, ad quae agenda necessarius sit, atque natura sua activa eum differre ab intellectu qui passive se habet, et non agat nisi virtute communicata ab intellectu agente; haec utique sunt essentialia in doctrina scholastica de intellectu agente. Definire autem utrum sit potentia an non; hoc essenziale non est in theoria illa. Sufficit oppido dixisse ut S. Thomas in aliquo loco, ubi data opera exquirat quid sit intellectus agens (S. Th. quaest. 79 art. 4.) illum esse a l i q u i d i n a n i m a. Et nos igitur dicimus eum esse: aliquid in anima, sc. vim. Et hunc in modum retinemus in nostra theoria omnia quae essentialia erant in theoria scholastica. Iam vero si quis urgentius instaret, assereretque eo ipso quod intellectus agens sit vis, esse et potentiam; nos certe non miraremur talem assertionem quum haec distinctio inter potentiam et vim non inducatur passim, imo vero communiter admittatur aliquid contrarium, i.e. omnem potentiam habere vim suam, itaque e converso omnem vim necessario esse potentiam. Non igitur miraremur, sed neque concederemus; quin potius omnino negamus potentiam et vim esse unum idemque. Hoc absolutum, essenziale, necessarium discrimen inter potentiam et vim qua utitur potentia, suo loco diligenter probandum curabimus; interim hanc negationem nostram ne hic quidem sine aliquo argumento probabili in medio relinquere volumus, et statim possumus ex iam expositis regerere: Num oculus, quae est potentia videndi, est etiam vis quae videre facit? Aut lux, quae est vis quae facit videre, est etiam potentia videndi? Ex hoc autem exemplo plus quam exemplo plus quam necesse sit probabile redditur, non in hac sola occasione potentiam et vim unum idemque non esse imo probabile fit omnino potentiam et vim esse semper aliud et aliud.

visio ex omni parte absoluta. Et hoc fit in visione intellectuali ob rationem similem illi alteri ob quam aliquid analogum factum est in illa priori corporali.

39. Et re quidem vera species intelligibilis, /tametsi^a intellectualiter tantum, habet tamen in se multa praedicamenta, seu attributa et notas; multa, inquam, nondum reducta ad unum intellectuale. Hoc unum autem quod dicimus intellectuale, non est equidem coniunctio et commixtio illorum attributorum inter se a mente nostra utcumque facta, non certe; sed hoc /de quo agitur/ unum invenitur tantummodo in unitate subiecti, ad quod hanc multitudinem attributorum mente retulerimus. Debemus igitur speciem intelligibilem non in se relinquere solam, sed necessario illam referre ad suum subiectum. Et hoc fit actu illo mentis nostrae, quae est pars interior totius actus visionis intellectualis. Intus enim, eadem luce intellectuali illuminatus, intellectus noster distinguit inter speciem intelligibilem quam percipit et inter se ipsum, tanquam subiectum cogitans et hanc speciem sustinens; et probe scit hanc speciem intelligibilem pertinere ad se (subiectum cogitans) tanquam quasi obiectum in ipso existens; esse nempe aliquam modificationem sui ipsius, quae quasi attributum suum coniunctum est cum ipso, uti subiecto. Non videt quidem se ipsum uti subiectum, sed (eo ipso quod videat illud internum quasi obiectum) scit apprimè idem quod videt ad se pertinere. Iam vero scit ex alia parte illam speciem intelligibilem quam in se videt, advenisse in eum et processisse ex illo phantasmate, ad quod semper se convertit ut speciem intelligibilem intelligat. Intelligit itaque illud phantasma seu speciem sensibilem esse indissolubiler coniunctam cum eius specie intelligibili; imo vero hanc speciem intelligibilem non esse nisi illud phantasma, illuminatum a luce intellectuali. Hic etiam intelligit hanc suam speciem intelligibilem, tametsi unam in se, habere duas partes: unam internam qua pertinet ad ipsum et qua est mere intelligibilis; aliam externam, ubi haeret phantasma, et qua pertinet ad aliud subiectum, sibi ipsi proprium. Hoc utrumque, inquam, intelligit una eademque inductione, bifariam partita, et cum aequali certitudine. Scit itaque speciei sensibili seu phantasmati respondere suum subiectum, sicut eius propria species intelligibilis sine suo non subsistit. Et eadem ratione qua non dubitat neque miratur, suum proprium subiectum non videre, eodem etiam modo etiamsi non videat subiectum substans phaenomenis a quibus processit phantasma, tamen nullo modo miratur se illud non videre, neque dubitat existere. Eadem omnino certitudine quae scit se ipsum existere, uti subiectum intellectae a se speciei intelligibilis, scit etiam et certus est existere subiectum speciei sensibilis; et discrimen non est nisi in hoc solo: se suum subiectum non solum scire sed etiam sentire, illud alienum vero non nisi scire.

Longius hanc rem protraximus quam ab initio in animo erat, adeo ut hac comparatione paullo fusius exposita, vix nobis ipsis non videamur totam nostram theoriam ante occupando adumbrasse. Semper tamen umbra haec est tantum, rem autem et veritatem suo loco dare officii efficii nostri erit.

Ceterum facti nos non poenitet nostri; nam hoc saltem operae pretium habere confidimus, quod lector ex dictis magis magisque intellexerit, qua significatione ipsum vocabulum quod nostro operi imposuimus, sc. *O r g a n o n*, pressius sumendum sit; et perspexerit nos eadem significatione potuisse mutando vocabulum, inscribere librum: *D e l u c e i n t e l l e c t u a l i*. Non fecimus tamen. Supra modum enim inveterata est apud plurimos opinio: lucem etiam hanc physicam eoque magis intellectualem, esse obiectum quod videtur, non autem esse illam vim quae lux revera est, quae quidem obiecta illuminat, et visibilia efficit, sed se ipsam non illuminat, neque est visibilis, quod aequali aut potiori iure accipi debet de luce intellectuali. Omnem igitur aequivocationem devitantes, nihil in

^a Prius quamquam

exordio de luce meminimus; nunc tamen possumus sine huiusmodi periculo aperte asserere tractationem de organo scientiae eandem esse quae et de *Luce intellectuali* apud recentiores philosophos; quemadmodum iam asseruimus hanc tractationem ex alia parte eandem esse atque illam de *Intellectu agente* apud Scholasticos. Nulla iam esse potest aequivocatio, quando quidem et prius diserte asseruimus hoc organon non esse subiectum, non ullam in subiecto potentiam aut aliquid in genere substantiae, et nunc apposite declaramus nullo modo esse obiectum, aut aliquid in genere accidentis. Neve igitur subiectum est neve obiectum; neve substantia, neve accidens; sed est utique vis, et quidem vis intellectualis.

Atque sic tandem in isto etiam Prologo asseruimus ad finem praecipuum theoriae nostrae, et hac quidem significatione (opus est cionfiteri) novum in philosophia elementum, quae est *vis*; novum inquam in hac positione sua inter substantiam et accidens, et pari iure inter formam et materiam, quin etiam et inter potentiam et actum. Hoc enim elementum /quae/^a est vis, omnino primore est, et pari gradu, pari loco inter duo illa primoria elementa ponendum quae Aristoteles in scientiam induxit, substantiam scilicet et accidens, quibus analogia aut etiam parallela sunt: forma et materia, actus et potentia. Non duo profecto sunt menti humanae elementa illa quae sunt primoria, sed tria omnino esse debent, sicut et sunt in rerum veritate. Duo posuit Aristoteles, et his duobus stetit hucusque philosophia; tertium non advertit, neque post illum scienter cognitum ac positum in philosophia fuit; saltem non eodem loco et gradu quo substantia et accidens, neque in eorum ordine. Iam vero hoc tertium elementum, sed in hac sua legitima positione, hoc tandem omnia perficit, et totam philosophiam omnibus numeris absolvit, prae primis autem dat plenum et integrum scientiae humanae instrumentum.

Huius elementi quae est vis, naturam definire, officia perpendere, iura tueri, eique legitimum in philosophia locum vindicare, atque tandem eius ope instrumentum scientiae perficere, hoc propositum nostrum est, haec erit cura, cui Aeterna Sapientia, et Summus Magister Christus benedicat, precamur, ex alto!

^a Prius quod

ORGANON

[II]

INITIUM

Incipientibus philosophiari (vel simpliciter ad res et ideas mentem reflectere), primum quod nobis obversatur est ipsa sedes idearum, ad quae attendimus. Haec porro est mens nostra.

Sed non ita simpliciter mens uti mens, sic enim non videtur, nec proinde attentionis potest esse obiectum. At vero attenditur mens in concreto sumpta, i.e. cum iis omnibus, quae in ipsa continentur, seu summa attenditur earum specierum et realium specierum et realium et idealium quibus repletur mens. Hoc pacto obiectum attentionis et reflexionis (a quo puncto omnis philosophia sumit exordium) non est mens simpliciter, sed mentis contentum, mentis *I n e s s e*.

Hoc inesse mentis non potest tamen statim constituere obiectum absolutum reflexionis et philosophiae, uti vellent qui cogitationem cum existentiam ipsa confundunt. Et sane quod absolutum est, ab alio non pendet, in se omnibus numeris completur. Iam vero inesse mentis nostrae non est aliquid independens, in se completum ac absolutum, et quod ab alio non pendeat. Imo distinctio inter ideas nostras (quae inesse mentis constituunt) et res externas, necnon persuasio ideas a rebus pendere, primordialis est, omnibus communis, ac proinde universalis et necessaria. Inesse proinde mentis nostrae non est obiectum absolutum scientiae ac philosophiae.

Quod si aliquis dicat hanc perceptionem, qua ideae a rebus pendere intelliguntur, totamque hanc distinctionem inter ideas ac res ipsas illusoriam esse atque erroneam, nec proinde dubitare nos debere, quin solum mentis inesse pro absoluto philosophiae obiecto recipiamus, merito ipsi respondebitur, ita, un non possit amplius hoc saltem in dubium vocare: nempe illusionem illam ac errorem esse omnino communem; communis autem error, seu potius communis persuasio, vehemens ad minimum constituit praeiudicium rei, veritatem non aliter se habere. Proindeque suppositio illa, inesse mentis absolutum esse, ad minimum res dubia erit; iam vero a re dubia nec ulla alia scientia nec etiam philosophia incipere potest.

Illi ipsi philosophi qui a dubio incipiunt, non incipiunt a re dubia. Nam saltem hoc illorum dubium, est ipsis non res dubia, sed res certa; dubium hoc enim est cogitatio, et de hac certos se esse pronuntiant. Nec alio modo possent dicere: *C o g i t o e r g o s u m*.

Opus est itaque omnino ut solvatur dubium illud seu potius quaestio illa primordialis et gravissima, haec statim in limine philosophiae, accedentibus ad illam occurrit. Numquid scilicet inesse mentis (Ideaes omnes quae in ipsa contineri reperiuntur) non distinguantur realiter a rebus ipsis, quas repraesentare creduntur, an potius realiter ab ipsis distingui, distinctasque entitates constituere, oppido dicendae sint?

Si dicerte quaestionem dirimere velimus, difficile res cedit. Directe, inquam, quaestionem dirimere tunc esset, si resque ideasque in se ipsis inspiceremus, manu ut ita dicam cogitationis nostrae eas apprehendentes, et quid sint pensitantes sequiori qua possit lance, et tandem quid valeant pronuntiantes, utrum sc. unum idemque sint, an vero disparata diversaque specierum genera? Id autem impossibile intelligitur. Namque huiusmodi

^a Numeri marginales signant numerum chartae manuscripti.

sententia tum solum proferri posset, si sequo iure, utrasque partes apprehendere nobis liceret; nos vero non eodem pacto res et ideas apprehendimus: ideas enim directe, res vero indirecte, per ideas nimirum, vel etiam per sensationes, non autem in seipsis, apprehendere nobis concessum est. Non possumus igitur directe, eodemque iure utrasque partes tractare, nec possumus proinde directe quaestionem dirimere. Si itaque nobis hoc consilium ratum firmumque esset, ut necessario quaestionem hanc directe solvere vellemus, oleum et operam utique perdidissemus, et re infecta abire cogeremur.

Hoc autem agunt philosophi nostri, sive defendentes hanc hypothesin identitatis rei et cogitationis, sive e contrario eandem impugnantes. Error utrorumque in hoc consistit: quod obiectum cognitionis philosophicae directe ac immediate apprehendere posse et debere dicant, vel saltem supponant. Hoc errore ducti illi priores, cum sibi directeres ipsas videre videantur, eo ipso ideas reales esse asseverant, easdemque, unum esse cum rebus ipsis.

Isti autem, errore vincii eodem, sc. necessitate omnia in se immediate intuendi, videntur sibi immediate quidem in se ipsis ad etiam separatim et res et ideas videre, dicuntque ideas non esse unum cum rebus; sed et res separatim in seipsis existere (ac si res in seipsis viderent!) et ideas etiam existere separatim, ideasque esse tantum repraesentationes rerum (ac si aliunde sciret esse res, quae per ideas repraesentantur et non per ideas hoc scirent, aut certi essent a priori, nescio qua ex causa, ideas non esse nisi repraesentationes rerum!).

Prolegomena
Initium.
3.

Nec advertunt eorum ideas, quas repraesentationes vel imagines rerum dicunt, eo ipso esse medium quo res cognoscuntur, ac proinde in eorum sententia solum hoc furfur idearum immediate a nobis intueri, nec de rebus sciri aliquid, nisi per hocce idearum medium iure posse, nec proinde ullo pacto statuere et asserere ideas esse separatas a rebus.

In utraque proinde hypothesi quaestio directe solvi nequid; et neutri horum philosophorum demonstrare possunt aut ideas esse unum idemque cum rebus, cogitationem unum cum existentia, aut vero aliud omnino res esse, et ideas aliud. Quaestio haec directe dirimi non potest. Quomodo igitur erit dirimenda?

Certe quidem indirecte.

Sed quomodo tandem?

Inspiciendo illud ipsum inesse quod mentem nostram implet. Sed non illud intuendo quid sit, bene vero considerando quomodo se habeat; sc. non materiam eius ad examen vocando, de eaque sententiam proferendo (nam ad examen huiusmodi atque sententiam, instrumenta necessario requiruntur, ac insuper lex, eiusque certa cognitio; quae omnia adhuc ignoramus); non materiam itaque illius inesse; sed potius id quod vocare possumus formam, seu potius modum illius inesse, scilicet legem, qua vivit et sub qua nobis se manifestat. Hanc porro legem semper percipimus, ipsa est maxime quae obiectum cognitionis nostrae constituit: hanc itaque examinare nihil vetat, aut impedit, omnia susdant et imperant.

Hac lege bene cognita, cognoscere etiam poterimus, certissima, licet indirecta ratione, quid sentiendum sit de identitate vel non identitate idearum ac rerum, cogitationis ac existentiae.

Prolegomena

Itaque philosophari incipientibus, inprimis quidem sumere oportet tanquam

Initium
4. obiectum cogitionis ac scientiae ipsum inesse mentis nostrae; deinde vero in hoc inesse sedulo esse distinguendum eius materiam (sc. id quod est, et ex quo consistit) ab eius forma, seu potius a modo quo se habet, a lege et ratione qua vivit seseque manifestat.

De illo priori dubium moveri non solum potest, sed vero debet, dubium nempe et de natura eius et de origine; proindeque materia illius inesse mentis nostrae nullatenus initium philosophandi constituere poterit; de hoc altro autem nullum dubium oriri potest, nam ratio et modus quo mens nostra *in esse sum percipit, tractat, format, et reformat, praesentat et repraesentat*, est ipsi menti semper praesens, previus, clarus, evidens, et quam maxime evidentissimus. Proindeque isthic maxime, scilicet modus illius inesse mentis nostrae, et lex qua regitur, potest ac debet esse primum obiectum et initium philosophandi.

Error Hegelii in hoc maxime consistit, quod inesse mentis nostrae (Inhalt) directe et quoad materiam eius, posuerit ut philosophandi initium.

Hic est error communis omnium qui intuitionem constituunt philosophiae instrumentum (ontologistae).

Intuitio huiusmodi, ipsius materiae cogitationis, sc. ipsarum rerum in seipsis (obiectorum de quibus scientia), huiusmodi intuitio est maximum vehiculum Pantheismi. Ex hac machina hic Deus.

Prolegomena
Inesse mentis
5.

DE INESSE MENTIS.

Inesse mentis constituunt es omnia quae per sermonem exprimuntur; sed non tanquam res, nam de hoc uti vidimus saltem dubium occurrit hic in initio, bene vero tanquam ideae; de hoc enim nullum dubium.

Voces certe, quae sermonem constituunt, significant et res et ideas. In suppositione identitatis idearum cum rebus, nihil offendimus huiusmodi hypotheticos ratiocinatores, cum dicimus, ea omnia quae per sermonem exprimuntur (et quae constituunt inessen-
mentia) ideas esse, abstrahendo ab eo an sint unum idemque cum rebus. In contraria vero hypothesi, non identitatis idearum cum rebus, nihilo magis adversamur huius sententiae patronis, dum sumimus sermonem atque voces in quantum ideas tantum exprimunt (et non etiam res). Nam hoc facto non negamus, voces etiam res exprimere; dicimus tantum ideas ab ipsis expressas esse obiectum primum scientiae; idque eo consilio, ut vitemus illud dubium ac questionem identitatis aut non identitatis utrarumque.

Sermo itaque qua late patet, omnesque eius voces exprimunt inesse mentis; et quidem absolute, nam praeter ea quae hoc modo exprimuntur nihil inveniri potest quod sit in mente, et si esset iam et ipsum exprimeretur, et sic pertineret ad eandem summam sermonis.

Hocm sensu dici potest, philosophicam tractationem sermonis esse ipsius mentis humanae philosophicam tractationem, ac proinde ipsam scientiam et ipsam philosophiam^a.

^a Fere tota pagina restat vacua.

DE REALI ET MODALI PARTE^a
INESSE MENTIS

Postquam rescivimus in quo consistat ipsum inesse mentis, exquirendum est quae sit eius materia, quae vero ea pars, quae pro formali consideranda sit: seu ut rectius loquamur, quae sit ipsa res eius et qui sit modus?

Iam vero eo ipso, quod inesse mentis est is quod sermone universo continetur, id etiam evidens apparebit, quod illud inesse eandem in se referre debet naturam ac rationem, quae et sermoni est propria. Hinc realis et modalis pars sermonis, eadem erunt partes et in mente.

Porro pars realis sermonis, i.e. materia de qua tractat sermo humanus, et ut tractet, nominat eam, oppido erunt omnia nomina; nam nomina maxime sunt aut ea de quibus, aut ea quae dicit sermo; substantiva quidem ea de quibus aliquid dicit, adiectiva vero ea sunt quae enunciat, sc. illud aliquid quod de illis prioribus dicit.

Hic explicandum quomodo participia et adverbia inter adiectiva deputanda sint.

Ea autem de quibus dicitur aliquid, aut ea quae de his dicuntur, ad rem ipsam pertinent, non ad modum, uti patet. Erit ergo pars ista realis.

Pars autem modalis sermonis est verbum. Nam verbum exprimit quo tandem modo, id quod praedicatur, debeat praedicari de eo de quo praedicatur: an scilicet affirmative an negative, an coniungendo an dividendo etc. Verbum itaque est pars modalis sermonis.

Hic advertendum ceteras minores partes sermonis solas relationes istarum exprimere, vel realis (uti praepositiones), vel modales (uti coniunctiones). De minimis vero (interiectio, interrogatio) non est curandum.

Ex his patet, si ad inesse mentis ea applicentur, partem eius realem esse ideas quae per nomina exprimuntur, partem vero modalem alias ideas quae in sermone verbis significantur.

DE PARTE REALI
INESSE MENTIS

Pars realis inesse mentis humanae iam scimus quid sit. Sunt illae ideas omnes, quae nominibus sive substantivis sive adiectivis in sermone enunciantur.

Eo ipso tamen haec pars realis in duas alias dividitur. Nam specie inter se different ea de quibus (aliquid enunciat), et ea quae (enunciant).

^a Primum fuit: De materiali et formali parte ...

Ea de quibus aliquid enuntiat, sunt tanquam subiecta; ea vero quae (enuntiantur) sunt tanquam attributa. Posset dici illa prior *m a t e r i a*, haec vero *f o r m a* unius eiusdem *r e i*; ita ut pars *r e a l i s* (inesse mentis, et etiam sermonis) in duas alias divideretur, nempe in partem *m a t e r i a l e m* et partem *f o r m a l e m*.

Verum ne confusio oriatur ex hac voce *m a t e r i a e* et *m a t e r i a l i s*, quae in primis non presse neque in trita ac omnibus nota significatione hic acciperetur, quae deinde etiam a nobis alio omnino sensu accipienda postea erit, satius dicimus loco vocis *m a t e r i a e* aliam a nobis hic usurpari debere.

Haec erit vox *E n t i s*; ita ut *E n s* sumatur in oppositione ad *F o r m a m*. Hoc modo *E n s* significabit id, de quo aliqua *F o r m a* praedicatur; *F o r m a* vero erit constanter id, quod de aliquo *E n t e* praedicatur.

Utraque haec vox quae hic primum a nobis usurpatur, maximi nobis erit usus, atque monemus has voces ad universam nostram philosophandi rationem extendi, omnemque philosophiam iisdem absolvi.

Pars itaque realis inesse mentis nostrae (itidemque sermonis) in duplicem dividitur portionem, eam scilicet quae ad entia pertinet, eamque quae ad formas; portionem entalem et portionem formalem.

Partem realem ita bipartitam vel coniungere vel separare, modosque omnes percurrere earum mutuae relationis, etiam scilicet et formarum, officium est partis modalis tum sermonis tum inesse mentis nostrae.

DE PARTE MODALI

INESSE MENTIS

Prolegomena

8.

Pars modalis inesse mentis sunt illae ideae omnes, quae in sermone verbis exprimuntur.

Et certe verba in sermone eas exprimunt ideas, quae modos representant quibus entia et formae ad se invicem se habeant.

E x e m p l u m. Sumamus pro ente *H o m i n e m* et pro forma *B o n u m*, et ponamus inter haec duo diversa verba; v.g. *H o m o c o g n o s c i t B o n u m*;
H o m o a m a t B o n u m;
H o m o p r o s e q u i t u r B o n u m;
H o m o a g i t B o n u m;
H o m o e s t B o n u s;
H o m o f i t B o n u s;
etc., etc., etc.,

Evidens est haec verba exprimere modos.

Haec porro veritas (quod verba exprimant modos) maxime apparebit, certa si animadvertamus omnia verba, excepto solo verbo *e s s e*, resolvi in duo elementa; quorum alterum est adiectivum aliquod (ita dictum participium), alterum vero est ipsum illud verbum esse.

Sic v.g. amo = sum amans
ago = sum agens
audire = esse = audientem
videre = esse = videntem
etc., etc.,

Ex hoc etiam id colligi posset, non participium a verbo, sed verbum a participio originem sumere, saltem logice sine minus grammaticae.

Certe^a cum dicitur *a m a n s*, nihil affirmatur inconcreto, sed exprimitur in abstracto aliquis modus, aliquis status, affectio etc. animae, ille modus aut status.^b

Hic modus abstractus est mera et pura forma alicuius entis (v.g. *a m a n s*, est *f o r m a* quod potest aptari illi *e n t i*, quae dicitur *a n i m a*); et ita solum ex se nihil de ulla re pronuntiat, et tantum cum applicatur ille modus abstractus (forma) alicui subiecto (enti), tum demum fit modus concretus, verus modus alicuius rei. Hoc autem fit addendo verbum *e s s e* ad illum modum abstractum (ad participium originale omnis verbi), uti in exemplo dato dum dicitur *e s t a m a n s*, vel quod idem est: *a m a t*.

Et quo patet, logice participium esse prius quam verbum; patet etiam, participium esse meram formam alicuius entis (modum abstractum, non applicatum ulli rei), ac proinde esse adiectivum sicut et cetera adiectiva, quae omnia exprimunt formas; patet ulterius, non fieri ex participio verbum nisi addendo verbum *e s s e*; et ex hoc tandem patet, verbum esse efficere omnia alia verba hoc *e s s e* verbum *κατ'έξοχήν*, et si omnia verba exprimunt modum aliquem, hoc exprimere modum modorum, omnium modum absolutum.

Itaque si omne verbum constat ex adiectivo aliquo et ex verbo *e s s e*, adiectivum autem refert formam entis, verbum *e s s e* autem utriusque (et formae et entis) modum absolutum, hinc patet quod ex omni verbo, detrahendo eius adiectivum elementum, remanebit eius elementum essenziale quod exprimit modum, et proinde omnia verba exprimere modum.

Organon
9.1

Ex dictis patet, quod cum omnium verborum elementum essenziale sit verbum *e s s e*, ita ut hoc in omnibus contineatur, et ad hoc omnia reducantur; patet verbum esse esse ad instar omnium verborum et oportere nos at hoc uno discere omnia.

Patet, in aliis verbis esse modos particulares, relativos, conditionatos, etc.; in verbo esse modum essentialem.

Patet, ab hoc uno modo verbi esse, determinandos ceteros alios.

S U M M A

– Habemus nunc itaque tria:
1/ Ens (subiectiva)

^a Nota marginalis: Contradictio solvenda et verbum modus et adiectivum modus.

^b Deleta est sequens propositio: Solum dum dicitur est amans, aut quod idem valet: *a m a t*, tum demum ille modus aut status abstractus fit concretus, fit verus modus existendi.

2/ Forma (adiectiva)
3/ Relatio
(verbum esse)
seu modus

Considerandum nunc, quomodo inter se haec tria coniungantur.

– Porro ad haec tria reducitur totus sermo, proindeque omnes ideae, proindeque totum inesse mentis. Si horum trium legem habebimus, habebimus etiam legem ipsius inesse mentis, ac eo ipso etiam mentis ipsius.^a

Organon
9.2

Notandum tamen haec tria, quae constituunt inesse mentis, et de quorum lege invenienda agitur uti iam exposuimus in duo genera omnino dividi.

Ad alterum pertinent simul duo illa extrema, sc. ens et forma, quae constituunt uti vidimus partem realem inesse mentis nostrae; ad alterum vero illud medium quae est relatio et quae constituit partem modalem. Illi sunt termini relationis seu compositionis (sc. ens et forma), haec est ipsa eorum relatio seu compositio.

Quare illi non veniunt in hanc legem, nisi tanquam obiectum eius et materia quam haec lex regere nata est;^b haec vero relatio est sedes ipsius legis, aut potius eius essentia, imo est ipsa lex.^c

Organon
10.

NECESSITAS HUIUS REI

Patet autem necessitas huius rei, i.e. necessitas prius scire legem huius inesse mentis ac proinde mentis ipsius, quam aliquid *e d i c e r e* de ipsa natura huius inesse. Nam ipsa natura huius inesse. Nam ipsa natura huius inesse determinanda est ac iudicanda ex illa lege, ac proinde post eius praevidiam cognitionem, non vero *e contra*.

Dicet aliquid nos ipsos contrarium agere; nam videmur prius determinasse ipsum inesse mentis, quod statuimus compositum esse ex ente, forma et eorum relatione, et deinde ad legem exquirendam gradum facere.

Sed haec specie tantum illudunt. Etenim distinguendum est inter inesse mentis directe in se, obiective, et ut ita dicam materialiter sumptum, quo sensu de hoc inesse hucusque disputabamus, et inter id idem inesse quoad eius naturam intrinsecam, et locum quem unaquaque huius inesse mentis pars suum proprium occupat, valoremque eius et absolutum, et relativum; in quo sensu deinceps nobis erit de hoc inesse tractandum, dum nempe philosophice illud tractabimus. Hoc inesse priori modo sumptum, i.e. tanquam obiectum simpliciter, debemus certe nosse antequam legem eius cognoscamus, et haec concessio nostra non nisi trivialem ac communem veritatem supponit; prius in notitia esse rem quam eius legem, nec posse de re ignota dari legem notam^d

^a Porro invenitur tota pagina vacua.

^b Sequitur propositio deleta: Hic itaque recurrit illa prior distinctio inter partem realem et partem modalem inesse mentis nostrae, quam excipit haec conclusio: in parte modali sitam esse illam legem quam quaerimus.

^c Sequitur tota pagina vacua.

^d Tota sequitur pagina vacua.

Organon
11.

Sed hoc concesso remanet altera nostrae assertionis pars, scilicet sine lege, etiamsi cognoscamus faciem rei ab extra, non tamen posse nos cognoscere intimam naturam eiusdem rei; nam certe natura ex lege cognoscitur, legem sequitur, et nissi nota prius sit lex, natura manebit ignota. Haec veritas etiam omnibus patet, et iuxta ac prior vulgaris est.

Iam vero cum philosophiari aggredimur. Nos certe non materialiter et obiective tractandum sumimus nostrae mentis inesse, sed potius statim ab initio ipsam eius intimam naturam invadere praesumimus. Quare si id faciemus quin prius illam legem sedulo exquisierimus, et cognoverimus quam accuratissime, insanum erit propositum nostrum et ad bonum exitum haud poterit perducere.

Omnino itaque necesse est prius legem illam, qua inesse mentis nostrae regitur, accurate explorare ac cognoscere, quam aliquid philosophice de ipsa natura huius inesse mentis nostrae decernere.

At vero contrarium faciunt fere omnes philosophi.

Exempla.

H e g e l: D a s S e i n m a c h t d e n A n f a n g (Esse facit initium). Iam sumit esse et decernit quod sit initium. Quo iure? Qua lege?

Idem cum Fichti E g o; etc.

G i o b e r t i. L'Ente e' intuito immediatamente. (Ens intuetur immediate). Quis hoc tibi dixit? Ens pertinet ad inesse mentis sicut ceterae ideae. Iam statuis de eius natura, quasi esset capax immediatae intuitionis, et nescis legem huius intuitionis?

Idem dicatur de Ente Rosminii, servatis servandis. Ante omnia igitur lex mentis, postea eius operatio.^a

Organon
12.

IN QUO CONSISTIT LEX?

Vidimus inesse mentis tribus momentis constare, quae sunt: ens, forma, eorum relatio.

Iam vero patet, et diximus, ens et formam esse veluti materiam huius inesse mentis, relationem vero veluti formam eius vel potius modum esendi et se habendi.

Ac proinde et id patet, legem repositam esse in hac relatione, cum omnis lex determinet naturam, natura autem consistat in modo aliquo se habendi, quo quaeque res se habet, et est, et operatur.

Ex quo id sequitur, quod si lex mentis nostrae est reposita in relatione, termini relationis (ens et forma) praesupponuntur necessarii, sed ad ipsos intelligendos non praesupponitur alia lex, nam ipsi intelliguntur ex ipsa relatione et in sola relatione. Aliter non intelligerentur.

Hoc maxime notandum.^a

^a Remanet tota pagina sequens vacua.

Organon
13.

DE IPSA LEGE

Quarenda est in relatione inter illos duos terminos (ens et formam).

Porro relatio inter duos terminos triplex omnino existit:

1. Est relatio inter formam et ens, qua nimirum ratione forma ad ens refertur.
(Forma est terminus q u i, ens terminus ad q u e m).

Incipimus a forma, sicut poteramus incipere ab ente. Sed incipimus potius a forma ob rationes quas postea exponemus, quarum maior haec est quod hoc initium in experimento etiam communi primum est quod occurrit.

2. Relatio est entis ad formam. Haec illam primam necessario consequitur. (Ens est terminus q u i, forma, term /inus/ a d q u e m relatio fit).

3. Relatio est in medio posita. Non sumitur initium in hac relatione a neutro terminorum singillatim, sed ab utrisque simul, ita ut utrique sint termini q u i, et terminus, a d q u e m referuntur, est ipsa eorum unio et unum quod inde exurgit.^b

Organon
14.

DE PRIMA RELATIONE, QUAE EST FORMAE AD ENS.^c

*

Organon
15.

DE PRIMA FORMULA LEGIS „FORMA DEBET PERTINERE AD ENS”.^d

*

Organon
16.

DE SUCUNDA RELATIONE, quae est ENTIS AD FORMAM.

*

Organon
17.

DE SECUNDA FORMULA LEGIS „ENS DEBET PRODUCERE FORMAM”.

*

Organon
18.

DE TERTIA RELATIONE, quae est simultanea. ENTIS ET FORMAE, FORMAE ET ENTIS, IN UNUM.

*

Organon
19.

DE TERTIA FORMULA LEGIS „ENS ET FORMA, FORMA ET ENS DEBENT ESSE UNUM”.

^a Tota pagina sequitur absque textu.

^b Tota pagina sequitur absque textu.

^c Tota charta, excepto titulo, manet absque textu.

^d Sequuntur chartae liberae, quarum quaeque est intitulata. Hoc fit a charta 14 usque ad chartam 25 Organon.

Organon 20.	* PRIMUM PRINCIPIUM PROPRII.
Organon 21.	* PRIMA METHODUS INDUCTIONIS.
Organon 22.	* SECUNDUM PRINCIPIUM CAUSAE.
Organon 23.	* SECUNDA METHODUS DEDUCTIONIS.
Organon 24.	* TERTIUM PRINCIPIUM IDENTITATIS.
Organon 25.	* TERTIA METHODUS AEQUATIONIS.

Organon
26.

In omni idea (simplici) subest principium proprii et via inductionis.
In omni iudicio, principium causae et via deductionis.
In omni syllogismo, principium identitatis et via aequationis.
Et haec est lex eiusque modus, dum mens cogitat ipsas ideas.

*

Sed res latius patet, et transfertur ad ideas, res, et earum relationem.

1. Mens nostra dum cogitat ideas semper incipit a formis (quas solas in se cognoscit), et in formis moratur, quas nonnisi logice cum ente supposito, at sibi ignoto coniungit. Quare dum cogitat de solis ideis, utitur principio proprii et via inductionis.

2. Dum cogitat de rebus, incipit semper ab ente etiamsi sibi ignoto, quod coniungit cum forma aliunde sibi nota, et sic rem sibi repraesentat. Quare dum cogitat de rebus, utitur principio causae et via deductionis.

3. Reliquum est, et revera ita fit, ut dum cogitat de veritate (relationis idearum et rerum) utatur principio identitatis et via aequationis.^a

Organon
27.

Hic loci apodictice demonstrari potest quam absurde agat in philosophia qui philosophandi negotium inchoat ab ente.

Hegelii, Gioberti, Rosmini etc.

^a Tota altera pagina restat libera, sine textu. Talis status iam remanebit usque ad finem istius operis.

Est aberratio mentis, ignorantis propriam suam legem, nec distinguentis primum ac proinde omnem actum cogitationis non ex unico aliquo (puta entis), sed ex triplici constare elemento, quorum singulum ullum sine ceteris intelligi non potest. Hoc trinum momentum in hoc idea entis complexive sumpta est: 1/ existentia pro forma, 2/ ens, 3/ esse tanquam unum formae, i.e. existentiae cum ente; et bene hoc enuntiatur sequenti formula: **E n s e s t e x i s t e n s**.

Illi philosophi dum simplex ens, vel esse (nam confuse id, sumunt, pronuntiantque) veluti primum actum mentis constituunt, quam nihilo minus hic primus actus, nihil curendo imperitiam eorum, necessario in se est trinus, illud tandem efficiunt ut mirum aliquid inde exurgat: contingit nempe exinde quod omnes philosophi huiusmodi illi notioni entis vel esse quam simplicem bona fide existimant, trinan tamen coacti sunt dare et necessario dant significationem, quin id suspicentur. Haec trina significatio respondet tribus momentis illis, de quibus disserebamus, scilicet formae, enti, et eorum unioni. Tria enim haec momenta necessario sunt distinguenda in illa idea entis vel esse, quam illi philosophi inducunt et ita quidem ut 1^o loco formae sit **E x i s t e n t i a**, 2^o loco entis **E n s** proprie dictum, 3^o loco unionis, et unius quod exurgit ex existentia et ente sit **E s s e**.

Illi autem tria haec primiscue sub uno nomine et una idea entis vel esse sumunt, quod ipsis modo est existentia, modo ens, modo ipsum esse. Quoniam inde necessario confusio oriatur, nemo sanus non videt.

Organon
28.

**Prima ratio (ex sola lege cogitandi petita)
Differentiae inter ideas et res.**

Applicetur iam nunc lex cogitationis ad objecta cogitata.

Incipio a forma.

Refero formam ad ens.

Sed haec relatio duplex: 1/ ad ens ideale, 2/ ad ens reale.

1. Possum revera cogitare formam sine ente quod eidem subsit, formam nempe in seipsa.

Eoquid prohibet? Forte lex ipsa mentis, quae nimirum vetaret formam cogitare sine suo ente? Sed haec lex id tantum requirit, ut omnia momenta formae (notas aiunt nonnulli) ad aliquam unitatem idealem, ad aliquod ut ita dicam centrum logicum referantur et id etiam requirit ut in mente sit **i m p e r a t i v u m** huiusmodi formam ad ens referendi, si de existendo sermo est. Hoc nimirum in formula dicimus: **F o r m a d e b e t p e r t i n e r e a d e n s**; sed nihil iubet ut hoc centrum logicum aut illud ens logice expostulatum sit ens verum quod illi formae revera subsit.

Imo res evidentissime patet. Nam eam ipsam formam quam dum ente vero mox cogitavi, formam puta alicuius animalis, formam realem, viventem, per quam se manifestat ens similiter reale et vivens, eamden ipsam formam inquam possum illico in mente mea, abstracto et universali modo, i.e. sine ente suo idealiter recogitare. Quid vetat? Imo necessario ita fieri debet. Nam sublato ab oculis meis vivente illo et reali exemplari, in memoria nonnisi species phantastica eius mihi repraesentatur, cui respondet idea de illa re, sc. forma **i l l i u s r e i**.

Organon
29.

Huic formae possum quidem mentaliter supponere illud ipsum ens reale quod mox oculis per suam formam manifestatum conspiciebam, et tum erit cogitatio de existente realiter, quanquam non amplius praesenti. Sed etiam possum illam formam non referre ad illud ens reale, sed abstracte, in se ipsa considerare, et referre solummodo ad aliquod aliud ens possibile eiusdem generis, ut expleam conditiones legis cogitandi.

Nam uti diximus, sicut circulus non potest cogitari sine centro, ita nec forma, quae certe peripheria est ideae, non potest cogitari sine ente, saltem ideali, quod centrum eiusdem ideae esse aequo iure intelligitur.

Patet itaque formam, etiam existentem et realem, posse mox considerari abstracto modo et referri ad ens ideale tantum.

2. Sed ex hoc ipso patet, posse idem similiter referri ad ens reale. Quod tunc fit, quando forma existens et realis refertur, non ad ens intra mentem nostram tantummodo cogitatum, sed ad ens quod cogitamus ad extra sub hac ipsa forma existens, et cui tunc ens in mente nostra recogitatum respondet modo necessario et determinato, scilicet ad hoc unum (cum ens ideale est indeterminatum, et ad innumera determinandum).

Ex quo patet, quod possimus et quomodo possimus referre formam ad ens reale, atque differentia inter utramque relationem.

Organon
30.

Idea in qua forma refertur ad ens ideale est idea pura.

Idea in qua forma refertur ad ens reale est idea de re.

*

Differunt itaque ideae purae seu ideae de ideis, et ideae de rebus.

Num ideo differunt etiam ipsae res ab ideis, sicut ideae de rebus ab ideis puris?

Nulli dubium. Nam illa differentia inter illationem ad ens ideale et illationem ad ens reale non provenit nisi ab extrinseco.

Quod mens nostra iubeatur hanc formam et non illam referre ad ens reale, effectus est ipsius illius entis realis quod sub hac forma latet, sub illa vero minime.

Atque ita in hoc systemate differentia inter ideas puras et ideas de rebus, implicat necessario ipsam differentiam inter res et ideas.

*

Ea haec ratio apodictica differentiae inter res et ideas subministrat nobis ipsa lex cogitandi.

Sed est et alia ex eadem lege petita.

Organon
31.

SECUNDA RATIO DIFFERENTIAE
inter Ideas et Res. (ex ipsa lege cogitandi).

Ex utrarumque genesis.

1/ Ideae incipiunt, a formis ut procedant ad entia. Idea nulla potest haberi de ente nisi per formam.

Ens pendet a forma.

2/ Res incipiunt ab entibus et procedunt in formas, explicantur, manifestantur. Nulla res potest constitui in sua forma nisi per suum ens et ex ente.

Forma pendet ab ente.

Ex quo patet, toto genere differre ideas a rebus. Alia esse elementa, locus, vim agentem et legem.

Organon
32.

Ex quo patet, toto genere differre res et ideas.

Differunt: 1/ loco in quo constituuntur. (Alterae in se ipsis (res) alterae in mente)
2/ elementis quibus constant. (Alterae forma et ente reali, alterae forma et ente ideali).

3/ Vi quae elementa regit.

4/ Lege iuxta quam haec vis operatur.

*

Sed locus et elementa idearum pertinent ad ipsam materiam scientiae, et constituunt eius obiectum.

Id quod pertinet ad organon scientiae est vis, quae in quoque loco quaeque elementa regit, perinde ac lex iuxta quam haec vis operatur.

Proindeque hic in praesentiarum locus et elementa non nisi indicatum veniunt, et tota tractatio nostra occupabitur in examinanda ac constituenda vi et lege quibus cum ideae tum res reguntur.

Organon
33.^{1.}

LOCUS ULTIMUS IDEARUM ET LOCUS RERUM.

Commune elementum ideae et rei est forma.

Hae forma pro nobis est forma rei ipsius, quae duplicem habet partem: alterum ad extra, qua nobis revelatur, alterum qua ad intra cum suo ente coniungitur.

[1] LOCUS ULTIMUS RERUM.

1/ Forma in quantum cum ente suo coniungitur, constituit veluti circumferentiam, cuius centrum est ipsum illud ens. Et cum haec forma ita cum ente simul considerata constituit rem ipsam, hinc dici potest, quod locus rei est ipsum ens eius. Attamen hoc ens intelligi debet veluti punctum positum in nihilo (omnipotentia divina). **H i n c v e r u s l o c u s r e r u m e s t i n n i h i l o .**

[2] LOCUS ULTIMUS IDEARUM.

2/ Forma in quantum ad extra manifestatur ad cognoscendum constituit veluti superficiem, quae apprehenditur a mente nostra. In tantum etiam constituit ideam. **H i n c l o c u s i d e a r u m e s t m e n s n o s t r a .**

Sed mens nostra ad hunc actum habeat oportet congruentem dispositionem: i.e. sit ipsi necesse est facultas passiva, quae veluti speculum (sed vivens) recipiat et reproducat in se formas illas rerum.

Hinc necessitas **i n t e l e c t u s** passivi, seu patibilis, seu ut scholastici vocant **p o s s i b i l i s**.

I n t e l l e c t u s p o s s i b i l i s e s t l o c u m i d e a r u m .

Organon
33.².

**LOCUS PRIMUS SEU CAUSALIS IDEARUMQUE
RERUMQUE.**

L o c u s p r i m u s c a u s a l i t e r s u m p t u s e t r e r u m e t i d e a r u m .

Locus communis et idearum et rerum est tandem Deus; sed causaliter sumptus ut infra.

St. Augustinus in libro LXXXIV QQ – (quaest. 20). „In Deo potius sunt omnia, quam ipse alicubi; quia quod alicubi est continetur loco.

Cf. S.Th. I./q./ VIII, /a/ 1. – Proposita illa sententi Aug. tanquam contraria, respondet (ad 2.): „Licet corporalia dicantur esse in aliquo sicut in continente, tamen spiritualia continent ea in quibus sunt; sicut anima continet corpus. Unde et Deus est in rebus, sicut continens res; tamen per quandam similitudinem corporalium dicuntur omnia esse **i n D e o**, in quantum continentur ab ipso”.

Res et ideae inveniuntur in Deo et quoad ens, tanquam in ente etium (Pater), et quoad formam, tanquam in forma formarum (Filius) et quoad vis, tanquam in vi virium (Spiritus S^{tus}).

*

Sed nihilum pro rebus, est locus obiective sumptus, in quantum nimirum ideae de rebus, quae sunt substantiae rerum, in nihilo manifestantur ad **e x t r a** et fiunt res **o b i e c t i v e**.

Intellectus vero possibilis pro ideis, est locus idearum subiective sumptus, in quantum nimirum formae rerum, seu ideae aeternae, tanquam obiectum cogitationis subiectivae transeunt in intellectum et ex ipso faciunt suum **s u b i e c t u m**. Intellectus itaque est locus subiectivus idearum, sicut nihilum obiectivus rerum. Sed nunc quaestio oritur quisnam est locus obiectivus idearum, et quisnam subiectivus rerum.

Hic autem Deus esse non potest; sed Deus est locus **c a u s a l i s**. Non potest ad rigorem Deus dici locus obiectivus idearum, hoc nempe sensu, quod ideae nostrae adhaerent ideis divinis tanquam eorum obiecto **i m m e d i a t o**; nec potest dici locus subiectivus rerum, hoc sensu quod substantiae rerum haerent in earum typis aeternis divinis etiam **i m m e d i a t e**, ad quas veluti ad suum causale exemplar (subiectum) formarentur **i m m e d i a t e**. Hoc evidens est: nam tunc non possent dari falsae ideae,

neque fieri res truncae et vitiatae, praeterquam quod tunc etiam necessitate fierent, et inexorabilis induceretur Pantheismus.

Debet itaque dari aliquis locus medius et pro ideis et pro rebus.

Organon
33.^{3.}

LOCUS PROPRIUS RERUM OBIECTIVE^a SUMPTUS.

MATERIA est locus rerum obiective^b sumptus.

Id est, res omnes inveniuntur in materia tanquam in earum subiecto locali.

DEFINITIO MATERIAE.^c

*

Organon
33.^{4.}

DIVISIO MATERIAE.

1. Intra (veluti idealis)

Materia prima – in statu atomorum.

Inpalpabilis, invisibilis, sine dimensione, sine forma, sine natura ulla.

2. Extra. Materia secunda (uti realis) – in statu molecularum. Sine dimensione sed cum forma et natura.

3. Res ipsa materialis seu materia concreta:

a) Secundo prima.

In corporibus simplicibus.

Elementa.

b) Secunda.

Chemica.

c) Tertia.

Organica.

3. In medio vis.

Organon
33.^{5.}

LOCUS PROPRIUS IDEARUM.

(obiective sumptus).

Ratio^d

Organon

ELEMENTA IDEARUM ET ELEMENTA RERUM

^a Prius erat: obiective sumptus.

^b Prius erat: obiective sumptus.

^c Post ipsum titulum nulla datur eius explicatio; pagina restat vacua.

^d Tota charta, excepto ipso titulo et verbo: Ratio, manet vacua. Auctor enim scribendo opus philosophicum, primo explanaverat plenam istius compositionem, divisam in partes, articulos, paragraphos etc., postea singulis pholiis dabat titulos, demum titulos evolvebat.

34.

A) Elementa idearum:

- 1/ Pars exterior formae rei (pro forma)
- 2/ Ens logice suppositum, (suppositum autem vel idealiter tantum vel etiam realiter); Ad haec accedit: Eorum coniunctio facta a mente nostra, i.e. a vi intellectuali, quae ipsam regit, sed haec non potest iam dici elementum, sed est potius causa idearum (nam omnis vis est causa).

B) Elementa rerum

- 1/ Forma rei et exterior et interior.
- 2/ Ens determinatur, realiter sub hac forma latens.

Accedit: Coniunctio eorum in ipsa hac re peracta a vi essentiali quae ipsam regit. Sed haec etiam est causa existentiae rei, et elementum nequid vocari.

*

Ad summum possit tanquam tertium quid et in ideis et in rebus poni id, quod ex coniunctione exurgit, scilicet illud coniunctum, compositum, illud u n u m, quod ex forma et ente per coniunctionem constituitur. Sed neque hoc dici poterit elementum: nam potius est res ipsa (vel idea) quae ex elementis efficitur. Itaque quattuor omnino sunt distinguenda in omni re et idea.

- 1/ Elementa duo: et quidem forma et
- 2/ Ens, deinde
- 3/ Vis sive intellectualis sive essentialis qua fit elementorum coniunctio
- 4/ Ipsum compositum, sive res sive idea.

Organon
35.

V I S

1. Vires agentes (coecae).

Duae vires evidenter ex dictis consequuntur, quarum altera ad ideas, altera ad res referenda erit. Sed ex his duabus non minus necessario tertia consequetur.

Erunt itaque:

- 1/ Vis idealis, quae formas idearum refert ad entia idearum et efficit ideas;
- 2/ Vis realis, quae e contra entia rerum coniungit cum formis earum, et efficit res;
- 3/ Vis superior communis, in qua illae priores radicanter, et non sunt nisi duae frontes (pars adversa et aversa) eiusdem.

Nam nisi esset haec vis communis superior, illae priores vires independentes a se invicem essent, et tum unaquaeque independentem ageret; quod – 1/ experientiae repugnat, – 2/ elevaret ideis omne fundamentum reale, – 3/ induceret necessario, saltem ad longum, discordiam inter res et ideas (si aliis viribus ac proinde legibus regerentur).

De hac vi superiori magna et abscondita pandenda sunt.

Sed haec vis est in medio constituta: hinc inter vim absolutum divinam, inde inter vim liberam creatam.

Organon
36.

V I S

2. Vires subsistentes (liberae).

Duae omnino; absoluta et creata. Sed utraque suo modo *i n d e p e n d e n s* (in se subsistens, ex se agens).

1/ Absoluta, quae est Deus.

Sed trina:

a) ipsum Ens est Vis (secus ac in rebus creatis, ubi vis est in medio collocata inter formam et ens); vis, inquam, in se subsistens et ex se agens.

b) ipsa Forma est Vis in se subsistens et ex se agens.

c) Unum eorum est etiam Vis in se subsistens et ex se agens.

NB. Ad extra priori respondet vis idealis, alterae vis realis, ultimae vis illa superior communis.

2/ Creata, quae et Spiritus (angelus) vel homo.

A. In natura tres illae vires agentes coeae (idealistic, realis, communis).

B. In persona.

Organon
37.

I. 1. VIS IDEALIS

(Locus in quo agit et elementa)
Agit in intellectu

Sed cum agat inter duos terminos (formam et ens), hinc in ipso intellectu debet esse locus horum terminorum. Et cum termini illi sint, relate ad vim, ex natura sua passivi (cum ipsi sint circa quod actio huius vis exerceatur), etiam illa pars intellectus quae locus est istorum terminorum passiva erit ex natura sua. Hic est ita a Scholastica vocatus:
I n t e l l e c t u s p a s s i b i l i s.

Sed duo erunt momenta eius:

1/ Locus formarum, qui est intellectus passibilis proprie dictus; (coniunctus cum imaginatione).

2/ Tò Ego intelligens, quod relate ad illum est veluti ens.

Nunc accedit vis, vis agens idealis, cum suis principiis et methodis, qui ab Aristotele vocatur *I n t e l l e c t u s A g e n s*. Sed ita consideratus intellectus agens (cum in omnibus individuis intellectibus agat eadem lege) esset *a l i q u i d i n s e*; hoc Aristoteles affirmat et in eius doctrina intellectus agens est necessario *s e p a r a t u s*, i.e. seorsim in se existens.

Hoc non omnino reiiciendum.

Haec ex contro suo agens, creat in intellectu passibili centrum correspondens, quod agit actione communicata ab illa vi, et sub eius continua motione.

Intellectus passibilis in hoc suo motu vocatur a scholasticis:

3/ Ratio, quod est tertium momentum intellectus passibilis.

Quod hoc modo acquiritur, reponitur in Tò Ego intelligenti, et constituit in quod vocatur.

4/ Intelligentia, seu intellectus acquisitus. Qui tamen idem est cum Tò Ego intelligenti in suo ultimo statu (seu potius in suo actu, incipiendo a primo usque ad ultimum).

Organon
38.

I. 1. VIS IDEALIS.
(Modus quo agit).

Est autem modus agendi eius idem, qui in lege cogitandi observatus est.

- 1/ Ab extra ad intra (a forma ad ens).
- 2/ Ab intra ad extra (ab ente ad formam).
- 3/ Simultaneus et ab extra et ab intra ad unum medium.

Organon
39.

I. 2. VIS REALIS.
(Locus in quo agit et elementa)

Agit in Natura (?)

Semper inter duos terminos.
Ens sumit positum in nihilo, a virtute creatrice Dei.

Formam cum qua hoc ens coniungit (in quam illud evolvit, vel cum qua illud assimilatur), sumit ex materia vel quasi materia.

Duo itaque momenta:

- 1/ Ens veluti punctum positum in nihilo;
- 2/ Forma assimilanda ex materia vel quasi materia.

– Accedit vis illa, vis agens realis, quae collocatur media inter ens et formam, nempe inter illud punctum et materiam, (vel quasi materiam); et utrumque animat (seu potius movet): punctum quidem ut assimilet sibi materiam, materiam vero ut attrahatur et coniungatur cum illo puncto, in illam circumferentiam, quae ideae in illo puncto depositae i.e. naturae illius entis respondeat. Si vis illa in materiam non ageret (non eam informaret), haec non curreret coniungi cum illo ente. Hinc omnino necesse est, ut materia etiam informetur ab illa vi; ac proinde recte dicimus vim illam in medio collocatam; nam utrumque terminum informare debet.

Et sicut vis idealis agens dicta est *i n t e l l e c t u s a g e n s*, ita haec vis realis agens dici potest simpliciter *vis a g e n s*.

Dicenda ergo est, haec vis ex suo centro efficere centrum correspondens in illo ente, et ex passivo efficere activum actione illa communicata et quae agit sub continua motione vis illius.

Hic motus communicatus a vi agente enti, ut evolvat se in formam, dici potest:

- 3/ Energia, quod est tertium momentum rei.
- 4/ Natura ipsa rei vel res ipsa.

Organon
40.

I. 2. VIS REALIS.
(Modus quo agit)

Modus agendi huius vis est oppositus illi priori. Scilicet ei, quo agit vis idealis. Namque agit:

1/ ab intra ad extra (ab ente ad formam).

Nimirum animat ens illa energia assimilandi sibi materiam vel quasi materiam.

2/ ab extra ad intra (a forma ad ens).

Nimirum informat materiam vel quasi materiam, ut se praestet, ut apta sit, ut sollicitetur ad coniungendum se cum illo ente in eius formam.

3/ simultanee agit ex suo centro et constituit rem (compositum ex ente et forma) in eius centro.

Organon
41.

R E C I P R O C A A C T I O
I N S E
U T R I U S Q U E V I S (et idealis et realis)

I. Actio vis realis in idealem.

1/ Per formas rerum agit ad extra.

Hae formae rerum possunt effici ideae, si apprehendantur ab intellectu et informentur vi ideali.

Sed istae formae non agunt immediate in intellectum.

2/ Imaginatio est subiectum immediatum, in quod agunt formae rerum.

Imaginatio dici potest speculum naturae, quod semel creatum, continuo deinceps sibi ipsi natura reproducit.

Imaginatio coniuncta cum ente animato et vivente (quia aliter neque existit), sed quod non sit simul rationale, est illud speculum vivens et animatum naturae, in quo vis illa agens realis consequitur *q u a s i i d e a l i t a t e m* (nullo modo tamen fit idealis).

3/ Imaginatio coniuncta cum intellectu fit medium, per quod vis realis agit in idealem.

Nempe vis realis semper in imaginatione principatum tenet, et reproducit in ea formaliter id, quod in rebus facit realiter. Formas scilicet efficit imaginarias, quae respondent rebus existentibus, et actiones imaginarias, quae reproducent actiones veras; utrasque movet vis realis, hic in natura, ibi in eius speculo: attamen pars illa imaginaria, cum sit quasi idealis, sumitur a vi ideali tanquam materia eius operationis.

NB. Si vis idealis non rediget in suam potestatem illam vim realem in imaginatione agentem, et non ea utetur ut sua re et materia, illico luet paenas laeasse suae naturae et dignitatis; vis illa realis sine mora ipsius dominabitur, et duram suam imponet rei servitutem.

Organon
42.

R E C I P R O C A A C T I O

in se

utriusque vis (et idealis et realis).

2. Actio vis idealis in realem.

1/ Intellectus agit in imaginationem. Actio et potestas, in imaginationem suam propriam, et per ipsam etiam in vim realem suam propriam.

2/ Imaginatio nostra, mota ab intellectu, agit in imaginationem illorum entium quae imaginatione praeditae sunt.

Actio et potestas in omnia entia imaginatione praedita et per hanc in eorum vim realem.

3/ Imaginatio nostra, mota ab intellectu (et tunc rationaliter, alioqui coeco modo) agit in medium, in quo vis realis manifestatur, et in quo agit per formas rerum, scilicet in lucem seu lumen, in quo continentur omnes formae rerum.

Si imaginatio agit coeco modo, modificat solum lumen, et potest in lumine tantum, ideoque pro se sola, vitiare formas rerum, aut etiam falsas repraesentare.

Si agit rationali modo et voluntario, imaginatio probabiliter (formas nempe receptas per lumen eodem lumine in suam potestatem redacto repercutiendo ad res ipsas) potest modificare ipsas formas rerum, et sic agere in vim realem qua haec late patet. (Sed tunc requiritur voluntas absolutissima etc.).

Organon
43.

RECIPROCA IN SE ACTIO UTRIUSQUE VIS (et idealis et realis).

3. Medium per quod fit.

Iam patet imaginationem esse hoc medium.

Imaginatio est veluti pons illi abyssu iniectus quod duo hyatu res ab ideis separat.

Quare observandum est quomodo ex una parte vis realis cum imaginatione iungatur, ex altera vero quomodo imaginatio societur cum vi ideali.

1/ Iam vero apparet id, quod coniungit formas rerum (per formas autem rerum agit vis realis ad extra), proindeque id quod coniungit actionem vis realis cum imaginatione esse lumen. Nam lumen formas rerum refert ad imaginationem, et imaginatio in lumine et per lumen (?) eas apprehendit.

2/ Id vero quod formas per imaginationem receptas refert ad intellectum, est aliud lumen, quod in ipsa imaginatione locum suum habet. Non certe formae rerum in imaginatione depositae aliquo sui generis lumine circumdantur, quo intus videri possunt etiam a tali subiecto imaginante, quod non sit ratione praeditum. Nam certe animalia somnia habent. Itaque sua luce imaginatio gaudet. Sed lux huiusmodi in irrationalibus ad nihil aliud inservit, nisi ut subiectum moveat ad eiusdem generis actus; in rationalibus autem ad id etiam servit, ut intellectus passibilis easdem formas intueatur et inde materiam ad suas ideasumat.

Organon
44.

Itaque inter imaginationem et intellectum haec habemus: ut in imaginationem, et in imaginatione, et per ipsam, et ex ipsa agat vis realis ope luminis seu potius sub forma luminis; ita ut lumen (phaenomenon luminis) possit considerari effectus, vel manifestatio eiusdem vis realis.

Sed ex parte aliquid simile. Vis illa idealis illuminat intellectum passibilem.

Primus character huius illuminationis est quod intellectus videat formas repraesentatas ab extra per imaginationem, non in lumine imaginationis (in quo sunt tales, quales in se ipsis, saepe imperfectae, mancae, vitiatae), sed videt eas in alio lumine in quo semper sunt perfectae et perfectissimae, licet per comparisonem videat etiam illas formas vitiatas atque imperfectas, et videat insuper in quo sit imperfectio earum, in quo maxime apparet ille idealis character luminis huius, eiusque differentia a lumine reali.

In intellectu itaque est suum lumen; p r i m u m a d e x t r a, quod illuminat formas et lumen reale imaginationis sublimiori lumine perficit;

[Secundum] a d i n t r a, quoad ipsam coniunctione cum entibus, i.e. quod ad ipsas ideas efficiendas.

Eodem nempe modo se habet quo et lumen reale seu vis, quod agit in rebus et constituit res, agit per formas in imaginationem, et constituit imagines rerum.

Organon
45.

I. 3. VIS REALIS SIVE CENTRALIS

Habemus itaque ex una parte vim realem et eius lumen reale, ex alia parte vim idealem, et eius lumen ideale.

Numquid vires istae a se independentes, suo quaeque iure existentes ac agentes intelligi debeant, vel saltem possint?

Nullo certe modo.

Nihil est independens in rerum natura, sed vel inaliqua altiori fundatur radice, vel tandem in Deo. Quaerendum est itaque alterutrum: utrum scilicet immediate a Deo dependeant istae vires, an vero ab aliqua vi sublimiori, quae tandem ipsa dependeat a Deo?

Age vero, immediate eas a Deo non pendere iam hoc probat, quod inveniantur d u a e esse. Iam vero dualismus non solum non potest in Deo ipso inveniri, sed neque potest ex Deo immediate procedere. Nam dualismus idem est ac antagonismus, dissidium scilicet, lucta, ac irreparabile bellum. Haec vero neque in Deo esse neque ex Deo procedere ullo modo possunt.

Praeocupamus hoc argumento illam quae nonnullorum fortasse mentem occupabit obiectionem: Non requiri scilicet vim superiorem hanc centram, sed posse immediate a Deo procedentem illam vim considerare utrumque.

Haec probatio certe apodictica est; sed forte minus ad rigorem scientiae, nam supponit Deum, et quidem eiusmodi, qui summa et absoluta sit Unitas. Itaque ad scientiae rigorem, alio modo probanda res est.

Organon
46.

EXISTENTIA VIS CENTRALIS.

Eo ipso quod existant duae vires nobis pervie ac evidentes, vis idealis et vis realis, necessario concludendum est ad existentiam vis illius centralis sive mediae.

1/ Phaenomena alterius harum virium videmus semper respondere alterius phaenomenis. (Specie quidem differunt haec phaenomena, sed species utraque correlativa sibi invicem intelligitur; proindeque dicimus: *r e s p o n d e r e*, et postea: *c o n f o r m e s e s s e*).

Hoc facile probatur ex facto communissimo omnes percipere eodem modo formam alicuius obiecti, rosae, v.g. eius colorem, odorem etc. Ergo vis idealis agit conformiter cum reali.

Sed alia ex parte omnes rosae, ex. gr. crescunt, formantur, olent etc. iuxta unam eademque ideam; ergo vis realis agit conformiter cum vi ideali.

Iam vero haec conformitas non produceretur nisi uni eidemque obedirent legi, sibi superiori.

Obediunt itaque uni alicui legi superiori.

Atqui lex non nisi manifestatio vis alicuius intelligitur esse. Ubi lex, ibi vis.

Itaque phaenomena vis idealis et vis realis obediunt alicui (legi superiori communi, proindeque) vi alicui superiori communi.

Est igitur et existit vis centralis.

Organon
47.

EXISTENTIA VIS CENTRALIS.

Probatur secundo. Ratione quam exponimus initio, sed referendo eam ad Deum. Hic vero ad rigorem scientiae possumus eandem applicare obiecto ipso nostrae investigationis, sc. viribus illis. Dicimus itaque:

Si vires illae (idealitatis et realitatis) independentes a se essent, et suo quaeque iure existeret sc. ageret, impossibile esset ut semper, uno eodemque temporis momento, sibi responderent earumque phaenomena conformes sibi invicem essent.

Huic rationi illi soli obsistere possent, qui in medias has res Deum inducerent. Sed iam praeoccupavimus.

In eorum sensu, Deus esset tertium momentum has vires coniungens.

Hoc vero absonum est.

Et hic contra huiusmodi suppositionem demonstrandum est omnino: 1/ coniunctionem duorum momentorum in unum tertium ad essentiam rerum pertinere, imo id tertium quod coniunctum est, esse ipsam rem et substantiam rei; 2/ si itaque Deus esset duas illas vires in tertiam unam coniungens, ipse pertineret et esset substantia earum. Quod absonum est.

– Non solum impossibile esset, ut sibi invicem illae vires responderent, (si essent independentes), sed unaquaeque necessario ageret suoque iure, suoque lege. Et hoc ipso impossibilis esset conformitas.

Ex dualismo nempe necessario sequitur aut parallelus et nunquam secum innectus duorum principiorum motus et operatio, aut si alterum alteri admoveatur, fortuita tantum poterit oriri consensio, necessarius vero oriatur congressus et antagonismus.

Optima huius veritatis demonstratio exhibetur nobis a mente captis, in quibus vis idealis iam individuata, praescissa est a vi ideali illa vera et ex se agente. In hominibus sanae mentis vis idealis individuata nunquam est praescissa a vi ideali illa vera et ex se agente, ita ut si aliquando prior contra ultimam agat id faciat scienter, ad eamque, id est ad vim idealem veram semper advertat. Proindeque vis idealis individuata in hominibus sanae mentis non est absolute sui iuris facta, ut est in mente captis. Huiusmodi vis idealis individuata, est iam sui iuris facta et independens. Cui porro opus est demonstrare illam vim idealem ita sui iuris factam nisi fortuito aliquando in phaenomena verae vitae offendat, de cetero nunquam lege et ordine illi obviam ire?

Atque ratio evidentissima id suadet.

Organon
49.

I. 3. VIS CENTRALIS (Locus in quo agit vis centralis et elementa).

Ex una parte locus in quo radicatur est Deus, eo modo quo dictum est (33, 2.) sed intimiori omnino atque maxime intimo modo. Radicatur enim in Deo sicut in *V i v i r i u m*. Hoc vero intelligendum est ita, ut nimirum Deus incessanter contineat et tangat et moveat ab intra illud punctum, quod huius vis velut centrum considerandum est, et ex quo iuxta motum a Deo sibi communicatum haec vis deinde ipsa ad extra agat.

Ex altra parte locus exterior huius vis non sunt neque res, neque ideae immediate in se consideratae, bene vero sunt vires illae, quae et in rebus et in ideis agunt, duae nempe illae de quibus sermo nobis fuit: vis idealis et vis realis

Hinc elementa sunt:

- 1/ vis idealis, tanquam (vis) ens;
- 2/ vis realis, tanquam (vis) forma. Accedit:
- 3/ vis centralis cum sua energia.

Indeque oritur:

4/ intelligentia et natura typica una simul, mundus rationalis et ratio mundi,
s a p i e n t i a c r e a t a.

Organon
50.

I. 3. VIS CENTRALIS (Modus quo agit).

Ex suo centro in quo depositi sunt omnes typi (*i d e a e d i v i n a e* in quantum ad extra manifestandae) communicat vi ideali typos idearum, et vi reali typos rerum.

ORGANON

[Notae]

[III]

Org.

+

PROOEMIUM

Quousque tamen devenimus!

Ipsa nunc ratio humana negatur.

Omnis philosophiam in hoc demum consistit nullam esse philosophiam neve esse posse ullam!

Restat ut dicatur: nullam esse rationem neve posse esse!

Quo facto neque homines erimus hominesve poterimus vocari.

Vincunt qui se simiarum proclamat nepotes, et vincunt perfida arte. Perverse utentes eadem ratione, qua homo nunquam brutum animal fuit, adimunt homini hanc ipsam rationem, ut tamen revera fat brutum.

Ratione praesente, rem non poterant probare; ratione absente res illico probata est. Hominem certe ex simia non produxerunt; at, quid iuvat, si quidem ad simiam hominem deduxerunt?

+

Org. 1.

1.

LEX COGITANDI ET SCIENDI ante omnia exploranda est, pernoscenda et determinanda.

Haec est lex r a t i o n i s i p s i u s.

Causa cur id faciendum haec est imprimis quia ipsa ratio in quaestionem vocatur; imo impetitur et evertitur. Haec est causa negativa.

Causa altera, quae positiva dici potest, haec est profecto: quia nisi cognoscatur tota lex cogitandi et sciendi, non potest recte cogitari aut certo quidquam sciri. Scientia enim pendet ex suo instrumento.

Org.

2.

Scientia pendet ex suo instrumento. Hoc instrumentum est ratio.

Ratio autem pendet ex sua intima lege; et quia ratio perficitur cogitatione, iudicio et scientia quae suam legem postulant; scientia igitur pendet ex lege cogitandi et iudicandi, quae est etiam lex sciendi.

Lex cogitandi autem (integra vel non integra, plena eius vel non plena cognitio) pendet ex elementis cogitandi, eorumque mutua relatione.

(Unde si omnia haec elementa non plene cognitione percipiuntur sicuti hactenus in philosophia factum est et ipsa lex cogitandi non erit – sicuti hucusque non erat plene cognita).

Org.

Elementa cogitationis

3. sunt vel termini vel principia

Termini cogitationis sunt ea elementa quae inter ...

+

1.
31.Dec.1881.

ORGANON SCIENTIAE.

Scientia est triplex:

1. de Ideis,
2. de Rebus,
3. de Personis.

Idaeae no sunt res, neque res sunt personae, neque personae, aut res, aut ideae.
Distinguntur inter se realiter.

Iuxta hanc triplicem realem distinctionem in suo obiecto, et scientia similiter triplex distinguitur.

Altera ex parte inter ideam et ens, rem et ens, personam et ens, nulla est distinctio.
Et idea enim, et res, et persona, est semper ens aliquod. Imo ens adaequate in haec tria distinguitur: aut enim est idea, aut res, aut persona.

Quapropter scientia quae sicut ens ipsum relative triplex est, absolute tamen una est, scilicet: de entibus.

2.
31.Dec.1881.

DEFINITIO SCIENTIAE.

§ [1.] Scientia est actus mentis quo mens, iuxta legem suam et legem entis intelligit et cognoscit de ente, quantum ens de se manifestat.

Dixi: iuxta legem suam. Et haec est prima conditio scientiae: cognoscere legem qua ipsa operatur.

Dixi: et legem entis. Haec est altera scientiae conditio: nosse legem qua ens se manifestat, quaeque cum ipsa lege mentis intime coniuncta est: alterum enim horum propter alterum est.

Dixi: intelligit et cognoscit. Nam prius est simplex intuitio, deinde venit conclusio et inde aequisita scientia.

Dixi: quantum de se manifestat. Nam scientia nostra non oritur ex cognitivis casis, (quas tantum supponimus), sed ex manifestatis effectibus.

(unde distingue causam et legem).

3.
31.Dec.1881.

DEFINITIO LEGIS.

§ [2.] Lex est ordo necessarius quo ens aliquod producit effectus (vel debet producere, si agitur de ente libero).

Non est igitur causa, sed ducit ad cognitionem aut potius suppositionem causae.^a

4.
2. Januar. 1882. Dum igitur diximus: *Scientiam esse actum mentis, iuxta legem mentis et entis*, eo ipso distinximus legem alteram ab altera.

Lex mentis est ille ordo necessarius quo mens operatur.

Lex entium est ille ordo necessarium quo entia operantur, id est sive ideae, sive res, sive personae.

At quia mens neque est persona (est enim in persona, sed non persona), neque est res (est enim potentia, sed potentia ex se non constituit rem), neque tandem est idea (nam mens cum idea non identificatur, et sicut mens, puta in infantibus, potest esse sine ideis, ita et ideae, verbi gratia in libris, possunt esse sine mente); ideo fit ut lex mentis possit quidem esse respondens et veluti parallela legi sive idearum, sive rerum, sive personarum, non possit tamen esse identica cum eadem. Quo in negotio speciali cura notetur: Legem idearum non esse legem mentis.

Quod lex idearum non sit eadem cum lege mentis facile eruitur vel ex illo solo quod diximus: ideas, praeter alios modos existendi, existere etiam particulari modo in libris vel scriptis. Nisi enim in his existerent, nemo certe easdem inde erueret. Iam vero modus existendi idearum sub forma scripta non est profecto idem ipse quo eadem ideae in mente nostra existunt. Et lex itaque quo hic et ille modus producit, non est una eademque.

Sed iam audio dicentem: Nonne mens ipsa et litteras invenit, et ideas eisdem expressit, efformavitque, et sic tandem ipsum illum modum produxit quo ideae in forma scripta existunt? Cui respondeo Fecit id quidem mens, sed non iuxta legem suam, verum enim vero iuxta legem idearum ipsarum. Duo distinguenda sunt: 1/ Mentem assimilare sibi ideam iuxta legem suam; 2/ exprimere autem eandem ad extra iuxta legem ideae ipsius.

M A T E R I A^b

Materia intelligibilis et sensibilis. Utraque autem signata et non signata. – (De scientia Dei, art. VI. Ad 1.)

„Materiae idea non datur, nisi in composito (i.e. in aliquo quod est compositum ex materia et forma), ac proinde ut partis. Est tamen aliqua lis, in quantum pars distincte potest considerari, quamvis separatim non possit existere”.

^a Cicero, lib. I de Leg. Lex est ratio summa insita in natura, quae iubet ea quae facienda sunt, prohibetque contraria.

S. T h o m. I. II. 90.1. Dicitur lex a ligando quia obligat ad agendum.

[Nota auctoris].

^b Carta libera tractans de materia.

(De ideis, art. V. per totum).

Materia est pars essentiae totius (compositi). – Ib. ad fin.

I, q. XV. 3. 3^m. „Deus cognoscit materiam primam quae non potest habere ideam (i.e. suum exemplar aeternum cum nullam habeat formam”.

Ad haec inferius respondet: „Nos ponimus materiam creatam a Deo (non tamen sine forma – ut Plato); habet quidem materia ideam in Deo, non tamen aliam ab idea compositi: n a m m a t e r i a s e c u n d u m s e n e q u e e s s e h a b e t n e q u e c o g n o s c i b i l i s e s t”.

Cf. Tamen q. 3 De Ver., art 5. Et Lib. I. Sent., dist. 36, q. 2, ar. 3, ad 2.

I, q. XIV, 2, ad 2. „Esse naturale non est materiae primae, quae est in potentia tantum, nisi secundum quod est reducta in actum per formam”.

SUBIECTUM.

„S u b i e c t u m v e l m a t e r i a n o n p o t e s t a g e r e n i s i v i r t u t e f o r m a e n e q u e e t i a m d i s p o s i t i o p r a e c e d e n s , a n t e q u a m f o r m a a d v e n i a t ; s e d p o s t q u a m f o r m a a d v e n i t t a m s u b i e c t u m q u a m d i s p o s i t i o p r a e c e d e n s a g i t i n v i r t u t e f o r m a e q u a e e s t p r o n c i p a l e a g e n d i p r i n c i p i u m ” . – S . T h o m . I I , I I ^a c , I I , 9 , a d 1 .

Convertuntur igitur s u b i e c t u m e t m a t e r i a .

(Sed notetur confusio, quae iuxta nostram formulam logicam ita solvitur, ut subiectum vel materia, in ente concreto, sit f o r m a f o r m a t a , quae ante existentiam entis concreti, erat f o r m a n d a ex materia informi; – dispositio autem sit e n s , seu f o r m a f o r m a n s , seu t y p u s iuxta quam formatur; e n e r g i a quae format, et quae est tertia categoria, et in essendo et in intelligendo (cogitando) a nostra formula inducta).

La matière première (la'ccident) etc., existe relativement, mais elle n'est saisissable que par la Forme substantielle moyennant la force.

– (Iredault,61).^a

D E O R G A N O (consulendum).

Initium inconcussum = Inesse mentis.

Id quod exprimitur sermone.

Oportet sumere non abstracte sed concrete et ita est hoc inesse mentis id quod sermone.

Inquirendum de quo potest esse mens certa?

^a Cartula cum nota gallica.

rozdwojenie 1/ substantiva = res – d u b i u m
2/ adiectiva = formae – non dubiae. Sed quid de his solis, nisi
coniungantur cum substantivis? Et quomodo? – Per verba.

3/ Verba R u c h { 1. formy odnoszenia się do jestestwa, albo od
rozdwójenie { (pertinet – proprium est).
2. jestestwa do formy, albo od
causat, gignit, facit.
spoczynek { 1. Jestestwa z formą, albo bez.
zjednoczenie { 2. Forma z jestestwem, albo bez. (est).

Unica res certa (in mente) est haec operatio.
Sine hac operatione non esset sermo – non esset inesse.

Haec operatio habet legem (exprimitur in lege)
Haec lex quarenda.

Haec lex est initium philosophandi – quia est organon – Sine organo nulla operatio.^a

T R A N S C E N D E N T A L I A.

Ens (in sensu e x i s t e n t i s) = Forma
Unum = Proprium
Aliquid = Ens
Res = Totum
Verum = Ens in forma
Bonum = Forma in ente
(Pulchrum) = Forma iuxta formam aeternam in se una
(ordinata = in partibus)
(Perfectum) = Forma iuxta formam aeternam cum ente una.^b

^a Cartula libera inventa inter manuscripta.

^b ” ” ” ” ” ”